



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio III. De Mistione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Contra. Partes non repassæ contra Activitatem omnem passi, possunt aliquid producere in passo, itemque contra resistantiam tam graduum Passi, antequam passum illos amisisset, quam contra resistantiam reliquorum graduum passi, quos supponitur adhuc habere passum. Ergo multo magis contra resistantiam pauciorum jam partium passi, poterit in partem repassam inducere gradum deperditum.

Deinde suppono, quod sicut partes agentis agunt uniformiter, difformiter, sic etiam partes passi agunt uniformiter, difformiter, quo posito argumentor. Partes passi integræ, uniformiter difformiter agentes, potentius conservabant gradum amissum, quam conservent in parte repassæ productum, utpote magis remotum, & tamen contra vim conservativam passi, partes non repassæ, poterant producere in partibus passi gradum sibi similem. Ergo in parte viciniore multo magis id poterunt.

RESPONDET 3. Idem. Quia in quocunque casu datur Reactio. Qualitas quæ produci ut à Passo, in parte repassæ, magis distat ab intentione passi, quam qualitas, quæ in eadem parte repassæ, produci deberet, à parte non repassæ, distat ab intentione ejusdem partis non repassæ. Ex quo fit, quod plures partes passi concurrant ad producendam & conservandam, in parte repassæ qualitatem, quam concurrerent partes partis non repassæ, si pars non repassæ deberet agere in partem repassam.

Contra. Redit Argumentum jam factum. Partes non repassæ contra omnem nulum partium passi, possunt in passo producere suam qualitatem. Ergo producent in parte repassæ. Deinde, non sola ultima pars passi producit qualitatem in parte repassæ, sed & omnes partes agunt, quantumvis agant uniformiter, difformiter. Ergo etiam non sola ultima pars non repassæ, sed & omnes reliquæ agent, quamvis uniformiter, difformiter: Negatur item, quod Gradus producendus in parte repassæ, magis distat ab intentione partium non repassarum, quam distat unus gradus ab intentione passi, neque enim hæc major distantia est, per Heterogeneitatem, cum supponantur esse gradus homogenei, imo heterogeneitas hic nihil impediret: nec est major distantia localis, magis enim est vicina pars repassæ, partibus non repassis, quam sit pars repassæ vicina passo, cum supponatur induxisse suos gra-

du in partes viciniore passu. *Ad Quæsitum ut respondeatur*

ASSERO I. Quod eo ipso instanti, quo produciitur in partem repassam qualitas passi, non possint partes non repassæ restituere suam qualitatem. **RATIO.** Quia alias eodem instanti esset illic frigus, quia supponitur inductum, & non esset, quia supponeretur expulsum à partibus non repassis.

ASSERO II. In secundo vel aliis posterioribus instantibus, posse partes non repassas agere in partem repassam. Ratio, quia experientia ostendit partes repassas redire ad pristinum.

ASSERO III. Ratio, cur agens impediatur, ne producat in parte repassæ qualitatem, quamvis tunc in passo producat similem sibi qualitatem, rejicienda est in naturam agentium, qualem si non haberent, tunc ignis v.g. quia activissimus est, omnia deperceretur, tollereturque omnis mistio. Rursus rejici debet in id, quia agens necessarium tantum agit, quantum potest, hinc si eodem modo se habeat semper, non poterit postea plus. Quia ergo in primo congressu calidum ut octo, cum frigido ut octo, exeruit omnes suas vires contra frigidum ut octo, & tamen eo in tempore simul amisit unum gradum, cum eodem modo se habeat agens calidum, ut habuit ante, non potest simul procedere in illa actione, vel conservatione graduum productorum in passo, & simul concurrere ad producendum gradum in parte repassæ. Nam pro illo quod primo agit conservando, & producendo, omnes vires intendit, hinc nisi accedat calido melius aliquid, non potest agere in partem repassam, citius tamen postea à distantiori passo submovebit actionem, ut se in parte repassæ tueatur.

Quod attinet ad aerem, intermedium inter agens & passum, conditionem hujus partis sequetur, cujus qualitatem habebit.

QUÆSTIO III.

De Remissione.

DE Remissione nihil speciale dicendum occurrit, quod ex dictis solvi non possit, si enim sit res de remissione, in quantum illa opponitur intentioni, sicut intentio fit additione gradus ad gradum, ita remissio stabit in ablatione gradus à gradu. Si autem sit res de remissione activa & passiva, quæ perficitur reagendo & repatiendo, de ea sic discurrendum, ac de reactione & de remissione.

DISPUTATIO III.

DE MISTIONE.

At tenditur in hac disputatione ad elementa, qualitates primas, &c. Exactior tamen horum notitia aliunde peti potest.

QUÆSTIO I.

De Principiis misionis, & eorum Proprietatibus.

Nomine principiorum misionis, veniunt elementa. Nomine proprietatum, qualitates primæ, quæ sunt calor, frigus, humiditas, siccitas, &c.

DIF.

DIFFICULTAS I.

*De Elementis tanquam principis
missionis.*

ASSERO I. Principia missionis esse Elementa.

RATIO. Quia, ut videbimus infra, per ordinem ad mistum definiuntur. Quando autem Aristoteles secundo de Generatione textu 21. censet ex igne nihil generari, præcipue cum non appareat quo modo ignis, in fundo maris contineri possit, in quo tamen continentur mista, intelligendus erit, quod negat ex igne in temperato generari quidquam. Virtute autem, etiam in fundo maris potest contineri ignis, quia v.g. continentur exhalationes calidæ.

ASSERO II. Elementum rectè describi ex 1. Cæli textu 31. quod sit corpus, in quod alia corpora dividuntur, quod inest potentia aut actu, ipsum autem est indivisibile in diversa specie: Dicitur corpus sine addito, quia supponit pro principali, hoc est pro corpore completo, per quod a ratione elementi excluditur materia & forma, quæ sunt potius corporis. Dicitur debere inesse actu, ut cum de facto est mistum, vel in potentia, quia elementum dum non est in misto, dicit ordinem & potentiam, ut in illo sit.

Ariaga definit aliter elementa & dicit: Elementum esse corpus substantiale, exigens duas ex primis qualitatibus. Cæterum videtur prior definitio retinenda. Tum quia est Aristotelica, & defendi potest. Tum quia definitio Ariagæ substantiam, per ordinem ad accidentia describit. Tum quia nihil in contra obijcitur, quod solvi commodè non possit. Quando autem dicitur inintelligibile esse, quomodo elementum non dividitur in diversa specie; intelligi hoc debet, quod non dividatur in diversa specie corpora completa, dividitur enim de facto in materiam & formam substantialem, ex secundo de generatione textu 54. & tertii Metaph. textu 17. Et ratio est, cur habeant materiam & formam substantialem elementa, quia alias aqua calefacta, non posset se reducere in pristinum frigus, quia non haberet principium reducendi se ad illam, hoc enim principium non est materia ipsa, quæ est indifferens ad formas. Ergo debet esse forma substantialis, quæ ipsa cum sit materialis, non potest esse sine subiecto, quod est materia. Quamvis autem elementa sint sibi contraria, non sequitur illa debere definiri per ordinem ad accidentia, possunt enim habere contrarietatem radicalem, oriundam ab ipsis formis, licet contradictio formalis & proxima, sit ratione accidentium.

ASSERO III. Esse quatuor elementa: **RATIO** prima adfertur solet ex loco elementorum, quia datur elementum quod est levissimum, & altissimum locum occupat, & hoc est ignis, gravissi-

imum, occupativumque loci infimi, & hoc est terra. Ergo debent dari elementa. Prope summum; & hoc erit aer: Prope infimum; & hoc erit aqua.

Hæc ratio non convincit. Cur enim non poterit dari aliud propius propè summo, & propius propè infimo, & sic consequenter.

SECUNDA RATIO est. Quia sunt quatuor Combinationes utiles primarum qualitarum.

Hæc ratio non convincit. Quia negatur a combinatione utili qualitarum, numerum elementorum pendere, sed a formis illorum substantiis. Cur item non posset esse elementum contentum nonnisi una qualitate. Cæterum prior ratio habet fundamentum 7. Cæli textu 34. independentem ab autoritate.

TERTIA RATIO numeri elementorum est ipsa experientia, quatuor ostendens nobis illa dari. Non implicant tamen plura in alio rerum ordine.

DIFFICULTAS II.

De primis Qualitatibus tanquam proprietatibus elementorum in Communi.

ASSERO I. Proportionaliter ad definitionem principiorum Physicorum bene describi primas qualitates. Quæ neque ex aliis, neque ex se mutuo fiant, sed ex ipsis oriuntur cæteræ.

RATIO ASSERTI. Quia hæc descriptio convenit omnibus, solis & semper qualitatibus primis. Dicitur, quod qualitates non fiant ex aliis, ut excludantur colores extremi. Albus & niger, a ratione primarum qualitarum, cum illi ipsi fiant, ut dicitur, ex certa attemperacione primarum qualitarum. Sub Ly autem ex aliis intelliguntur qualitates, seu similia accidentia, indubiè enim licet non promanent qualitates primæ ex aliis qualitatibus, promanare possunt qualitates a substantiis. Aqua v.g. se reducit ad frigus. Astra influunt siccitates, humiditates &c. Dicitur, quod non fiant ex seipsis, intellige per se loquendo. Hinc quando calor causat siccitatem, id non fit per se, sed tantum partes humidæ resolvendo, in quas resolutas, facilius intrat siccitas. Accipiuntur autem istæ qualitates in supposita materia, h. e. prout deserviunt generationi & transmutationi. Hinc quia qualitas magnetica, non deservit venerationi, prima qualitas non nominatur. Addo quod quando dicitur, quod ex primis qualitatibus oriuntur reliquæ qualitates, non est necesse, ut nonnisi certo subiecto attribuantur; quia sicut ipsa temperameta qualitarum sunt varia, sic & secundæ qualitates variz, variisque subiectis propriæ sunt. Addo denique, appellari istas qualitates primas non absolute, sed inter qualitates generationi & transmutationi servientes. Quia ratione etiam densitatem & raritatem principiant. Nam raritatem

tatem principiat calor vel aer, densitatem siccitas vel frigus.

ASSERO secundò. *Quatuor esse primas qualitates, scilicet frigus, calorem, humiditatem, siccitatem.*

RATIO numeri est, à definitione ad definitum, quia scilicet non possunt ostendi plura, quæ neque fiant ex se, neque ex aliis, & ex illis cætera.

ASSERO tertio. *Ponendas infra definitiones primarum qualitatum, non esse quidem exactas, bene tamen rem explicare.*

CALOR, est qualitas congregans, ea, quæ sunt ejusdem speciei, disgregans autem ea quæ sunt diversæ speciei. Certè enim calor duos certos globulos inter se unit; secernit autem scoriam ab auro; per hoc tamen non nego, quòd per accidens fieri possit, ut dissipet calor etiam homogenea, findit enim vitrum, temperamentum illius dissolvendo, & consumendo partes continuationi necessarias; vel quia vult illud rarefacere; & quia cætera defunt ut majorem locum occupet vitrum, diffindi debet, nomine autem homogeneorum, non solum veniunt ea, quæ habent eandem speciem, sed etiam quæ habent eandem raritatem, levitatem, adeoque vim idem præstandi.

FRIGUS, est qualitas prima contraria, tam homogeneorum quam heterogeneorum congregativa. Ostendit hoc experientia. Videmus enim quòd in glacie omnia frigore coagmententur. Quamvis autem frigus & calor sint contraria, non obest quominus secundarios effectus hoc est congregare, eosdem habeant, diversa tamen id ratione præstat calor, diversa frigus, nam calor per dissolutionem partium, frigus per constrictionem, per hoc tamen non nego, quòd per accidens disgreget, ut cum extrudit partes necessarias unioni, compressione, vel depascendo humidiores partes, vel expellendo calorem &c.

HUMIDITAS, est qualitas prima contraria, per se reddens subjectum, non facile proprio termino terminabile, facile alieno. Et hoc patet in aqua, quæ terminatur figuræ vasis. Per accidens potest aliquid humidum, non facile alieno termino terminari, v.g. glacies quæ est substantialiter aqua, quia scilicet multum habet exhalationum siccarum. Porro hæc terminabilitas facilis, debet accipi pro activo, ut ita dicam appetitu, illius figuræ acquirendæ. Nam corpora rara, qualis est ignis, sequuntur etiam formam continentem illa, quamvis non appetant id, nec quidquam per se agant, ut se terminent simili termino, ut nihil per se ad hoc agit cinis, lana &c.

SICCITAS, est qualitas prima contraria, per se reddens subjectum, facile terminabile termino proprio, difficile alieno, ut videri est in lapidibus. Quando autem dicunt aliqui marimora sudare, adeoque habere liquiditatem, nec facile

terminari alieno termino, id immeritò assumitur, nam marimora intus non sunt liquida, & aliunde provenit & sudant.

QUÆRES. *An hæc qualitates sint positivæ & distinctæ?*

Quòd frigus & calor sit qualitas positiva, ostendit hoc vel ipsa actio eaque distincta utriusque; quod enim agit positivum est. Quando autem Aristoteles describit frigus per privationem caloris, facit id sua praxi, quæ contrarium minus nobile, appellat privationem nobilioris.

Quod attinet ad humiditatem & siccitatem, negat illas esse positivas Ariaga, contra communem sententiam, quæ retinenda. Ratio, Tum quia id docet Aristoteles 1. de generatione textu 7. secundi de Anima textu 65. 2. de partibus animalium capite 3. secundi de Generatione textu 24. 25. 27. ubi actionem tribuit omnibus primis quatuor qualitatibus, adeoque positivitatem. Tum quia si hæc qualitates non essent positivæ ac distinctæ, id ideo esset quòd humiditas non esset aliud, quam substantia fluida, & siccitas hujus substantiæ privatio. Contra erit. Suppono enim quòd cognoscamus quid sit humidum, quid siccum, quodque id sensu exploremus, quo posito sic urgetur. Quando sensu exploro humiditatem (idem dic de siccitate) vel tunc tango immediate ipsam substantiam fluidam, vel sentio nonnisi frigus vel calorem illius, vel certè sentio Accidens ab his distinctum.

Non primum, quia nonnisi accidentia sub sensu cadunt. Verè autem humiditas cadit sub sensum, non ergo illa erit ipsa rei substantia.

Non secundum. Quia revera idem corpus manens idem, nunc est frigidum & tunc calidum, condistinguitque sensus tunc fluiditatem permanentem, quòd si tunc sentitur aliquid quod Accidens, voca illud ut volueris, hoc ego humiditatem esse volo. Tum quia vino consecrato manet postea humor vini. Ergo apparet illum non identificari vino. Neque dicas illic manere fluxibilitatem vini, cur enim multiplicabis entia, & loco humiditatis fluxibilitatem substitues. Et si dicas per miraculum illic aliquid substitui simile illi fluiditati, certè illud dices accidens positivum distinctum, & quia nulla illius differentia potest ostendi ab aliis naturalibus humiditatibus, etiam illa (nisi divinare velis) accidens erit; & sicut color vini remanens, verè est accidens, ita & fluiditatem illam dicam, verè esse accidens.

DICES primò cum Ariaga, nullum esse fundamentum ponendi ponendi has qualitates esse positivas.

RESPONDETUR. Negando antecedens ob dictas rationes.

† (G)

INSTABIS

INSTABIS. Humiditas & siccitas non sunt activæ qualitates, quia corpora humida non aliter humectant nisi seipsa applicando, effectivè autem nihil producant.

RESPONDETUR. Cum supponatur quodvis elementum posse transmutari in aliud, debent etiam illorum qualitates esse activæ, quomodo enim aer transmutaretur in ignem, cum utrumque corpus sit calidum, si humiditas & siccitas activæ non sunt. quarti item Meter. sum. 2. cap. 3. siccitati coagulatio tribuitur, quod est quoddam agere. Rursus humiditas & siccitas refractæ concurrunt ad alterationem, alteratio autem non fit sine mutua actione. Accedit experientia, quam adducit Oviedo: Quod scilicet si humectetur terra, etsi ponatur supra illam vitrum, vitroque supponatur corpus humiditatis capax, humectabitur magis versus illam partem viciniorem, agit ergo tunc humiditas. Res etiam sicca in locis humido si ponantur, putrescunt. Glaciès item si imponatur in aquam frigidam, dissolvitur, quamvis tardius, quam dissolutio nem non aliud producit, quam humiditas aquæ. Quamvis autem Aristoteles humiditatem & siccitatem appellat passivas qualitates, hoc dicit Aristoteles ad significandum quod non sint ita activæ ac calor & frigus. Quando autem Maurus dicit quæstione 37. ex eo humiditatem & siccitatem esse qualitates non activas, quia definiuntur per quoddam pati, nempe facile terminari proprio termino, vel alieno, id etiam non convincit, nam licet per ordinem ad terminari habeant se passivè, nego tamen his, quibus competit habere se passivè in ordine ad terminari, non convenire actionem, præcipuè cum ipsum posse facile terminari, accipi debeat secundum dicta, pro activo terminari.

In forma argumento allato negatur antecedens, propter experientiam ex Oviedo. Deinde transito illo negatur consequentia. Quia potest humiditas vel habere debilem spheram, vel esse alligata in suo modo agendi ad contrarium objecti.

ADDO. Quamvis hæ qualitates non essent activæ, posset aliunde probari illorum positivitas; ex ipsa sensuum experientia, discernit enim sensus inter frigus quale habetur in ferro, & aqua, ab humiditate solius aquæ. Et quamvis humiditas non principiet dolorem, nego quod non moveat sensum; quod autem dicit Ariaga, hominem in se non sentire siccitatem, non probat, quod illa non sit qualitas positiva, quia calor debitus temperamento non sentitur per multos, & tamen est qualitas positiva.

DICES secundò. Ab aqua non potest separari sua humiditas, in corrupta aqua.

RESPONDETUR. Ipsum hoc, quod ostendit nobis fides, in calice consecrato, docet hu-

miditatem immixtæ illic aquæ separari divinitus ab aqua, adeoque illi non identificari. Rursus quantitas separari non potest à subiecto naturaliter, & tamen est positiva qualitas; inseparabilitatem autem illam facit ipsa exigentia formæ substantialis sibi relictæ.

DICES tertio. Sicca humidis applicata, & humida siccis, nihil longo tempore operantur, quod patet in vitro; quia nec humiditas humectat vitrum, nec vitrum exsiccat humiditatem.

RESPONDETUR. Procedere id ex debilitate virium, non autem ex impotentia simpliciter agendi, nam etiam lux est qualitas positiva, quamvis non possit irradiare per opacum, sufficitque quod agat per diaphanum.

DIFFICULTAS III.

De primis qualitatibus elementisque in particulari.

Discurretur hic de debita combinatione qualitatum singulis elementis; Sed prius hoc quaeritur: An debeat utraque qualitas, convenire in summo, an alterutra non nisi poni potest? Si attendatur ad experientiam sensuum, certum est, in unoquoque elemento, dari unam qualitatem quam magis experiamur. Et ita est prædominium in igne caloris, deducimusque ignem in se, vel in aliquo sui, esse alicubi, quia res calet, non autem quia sicca est. Sentimus in terra prædominium siccitatis, &c. Videturque idem & ratio suadere: quia si potest consistere ratio elementi, non nisi cum una qualitate in summo, & cum altera non nisi in excellenti, asserendum id est. Ratio, quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sic nec gradus qualitatum. Rursus si utraque qualitas in summo conveniret, non esset ratio cur aer & terra distinguantur. Utrique enim siccitas & humiditas conveniret. Cæterum nihil in hoc certi posse determinari, idque vel ex eo, quod absolute loquendo, possibile sit elementum cum qualitate utraque in summo; vel cum qualitate non nisi una in summo. Quod autem illæ qualitates etiam in diversis elementis sint ejusdem speciei, probat negativum argumentum. Non sunt multiplicanda entia, nulla etiam experientia, quæ ostendat diversitatem. Sed ad titulum accedendo. *Sic*

Punctum Difficultatis 1.

Quam combinationem primarum qualitatum, habeat ignis.

DICENDUM est: Ignem esse calidum & siccum. Quod ignis sit calidus, experientia ostendit.

dit. quod autem sit siccus, probandum venit contra Cabzum, qui docet ignem non esse siccum in excellenti, sed humidum. Quod

PROBATUR primò à Recetiori Suarez, si ignis esset humidus, humectaret, sed ignis non humectat, immo exsiccatur, quis enim unquam expertus est se ab igne humectari, & pluvia humectatæ vestes, ad ignem suspenduntur.

RESPONDERI posset pro Cabzo: Nempe ignem, formaliter non esse siccum, sed formaliter humidum, quantumvis effectivè sit siccus; Sic Sol formaliter non est calidus, licet effectivè calefaciat, quod autem dicit ille, sicut frigus effectivè non potest producere calorem, & è converso, ita nec ab humiditate posse produci siccitatem, id etiam non convincit, certe enim Sol non est calidus in se, & tamen producit calorem, cur ergo simile non continget humiditati respectu siccitatis. Dicit etiam potest ex eo à frigore non produci calorem, quia non habet aliam additam virtutem, cui effectivè respondere possit calor, habet autem humiditas ignis additum calorem, cui potest respondere siccitas; quamvis humiditatem sibi determinet tanquam bonum suum, & ignis & aqua.

PROBARI solet secundo. Quia experimur ignem calidum esse & siccum.

RESPONDETUR. Difficile hanc experientiam posse ostendi; nam maximè exploraret illam tactus, sed ille præoccupatur, excessivè movente sensum calorem.

PROBATUR Tertiò ex Negativo Principio. Quia scilicet ex una parte experimur ab igne causari siccitatem, ex altera parte nullum est fundamentum, quod causetur semper nonnisi per accidens à calore, & quod non habeat ullam sui causam univocam, præcipuè instrumentalem ut vocant.

Negue valet si dicas; sufficere quod siccitas in terra posita, sit principium univocum, quia cum siccitas ordinariè non nisi ab igne causetur, ei potius, tanquam ordinario causativo, tribuenda erit.

ADDO. Non sufficit in igne ponere solum calorem, qui sit effectivè calor, sed ponitur verè formaliter calor. Ergo si nihil obest poni etiam debet formaliter siccitas, & sicut calorem ignis benè colligim⁹ ex eo, quia producit calorem, & nihil obest; ita ex eo, quia producit siccitatem, colligetur siccitas, & nihil obest.

Cæterum si nomine humiditatis veniat liquiditas, ut ita dicam quædam, secundum quam partes ejus continuantur, sinuantque sese talis liquiditas tribuenda est igni. Ratio: quia videntur sinuare sese ignem, & hoc, in aliud principium commodius referri non potest, quam in liquiditatem. Deinde: quia ignis quando liquiditatem in aliquo subiecto alias jam sibi apto, servare nō potest, subiectum illud deferit nec in aliud agit. Et ita ignis ex cinere evanescit, quod non

in aliud principium commodius referri potest, quam quia liquiditatem deposcit ignis.

DICES cum Cabzo. Humidum est, quod proprio Terminò difficile, alieno autem se habet ignis.

RESPONDET Recentior Suarez, ignem non esse facile alienā figurā terminabilem, sed contra illam indignari, unde etiam tentat quoscutique cancellos infringere. *Hec Responsio*

NON SATISFACIT. Quia idem dici posset de aqua, quia & hæc aggeres subruit.

RESPONDETUR. Esse quidem similem liquiditatem illā ignis, & humiditatem in aliquo, sed in hoc dissimulantur: quia ignis natura sua non defluit ad latera continetis, secus humiditas. Ut apparet in manifestè humido, quod est aqua.

INSTAT idem. Illa qualitas est alicui naturæ propria, sine qua qualitate, illa natura, nec produci nec conservari potest. Jam autem ignis, nec produci nec conservari potest sine aliquo humore, hinc cinis non est capax formæ ignis.

RESPONDETUR. Sufficere ad hoc prædictam assertam liquiditatem.

Punctum Difficultatis 2.

Quæ Combinatio Aquæ.

COMMUNIS sententia tribuit aquæ humiditatem in excellenti, frigiditatem in summo. Arriaga tribuit aquæ humiditatem in summo, frigiditatem in excellenti.

Pro Frigiditate Aquæ nonnisi in excellenti.

Primum Argumentum format Arriaga. Quia si illi conveniret summum, frigus congelaretur.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Quia congelatio illa non tantum in frigus sed & in alia alumini similia, & salnitaria referri debet. Unde etiam artificiosè fieri solet glaciæ, temporeque æstatis in aliis puteis vel fontibus non congelascit Aqua, quamvis sit longè frigidior præ ea, quæ in hyeme coalescit.

Secundum Argumentum. Glaciæ est frigidior aqua, Ergo aqua non est in summo frigida.

RESPONDETUR. Glaciem esse magis frigidam, secundum materiales agendi conditiones, hoc est ratione majoris condensationis, ut etiam magis urit ferrum candens quam ignis.

Pro frigiditate aquæ in summo.

Prima Ratio est. Quia aqua contraria igni est, & illum extinguit, Ergo debet habere frigus in summo.

RESPONDETUR. Illum extingui non ratione frigoris, sed ratione inepti pabuli ad ignem concipiendum, unde & cineribus bene extinguitur: Aqua item calidissima; extinguit ignem, frigidissimum autem oleum non extinguit, quia est aptum pabulum igni. Ergo non

ex eo, quia aqua extinguit ignem, inferri præcise potest, quod aqua sit frigida in summo; non nego tamen quod etiam juvet ad extinctionem humiditas.

Secunda RATIO est hæc: Quia nullum aliud elementum recuperat, ita cito suum frigus atque aqua.

RESPONDETUR. Nullum etiam elementum tamdiu & tam fortiter retinet suam humiditatem ac aqua, cur ergo non dicetur in summo humida, utpote minus vincibilis, & unice retineri solita, & est magis activa humiditas, nam qui imponit manum exemplo madefit non exemplo frigefit. Quod autem aqua facilius præ alio elemento recuperet suum frigus, id fit beneficio humiditatis tantæ, eo enim quia non est sicca, non ita viscosæ, peregrina & adventitia retinet eaque contraria. Unde etiam valde siccum ferrum si igniatur, difficile remittit calorem, ob contrarium principium, siccitatem.

Tertia RATIO. Quia animalia aquatilia sunt fluidiora, & ut plurimum exsanguia, aut valde parum sanguinis habentia, ideo oportuit illis dari ad habitandum elementum omnium frigidissimum.

RESPONDERI posset. Si conditio elementum pensanda sit ex conditione animalium, quæ illud inhabitant, sequeretur, quod terra deberet esse calida, quia eam inhabitant animalia calida, imò eo ipso quia frigidi sunt pisces, debuit illis ad habitandum dari elementum non maxime frigidum, ne magnus excessus foret nocivus, experimurque maria non esse frigida, imò pluribus exhalationibus calidis scatentia, quæ etiam per multos falsedinem causat.

Quarta RATIO est. Quia tempore æstatis aqua in puteis intendit frigus.

RESPONDERI potest. Si ex conditione puteorum, pensanda esset natura aquæ, dicendum foret illam esse calidam, quia tempore hyemis est calida, quod si calorem illum referas in adventitias qualitates, idem dic in præsentia. Deinde nego ad istam intensionem non sufficere excellentiam frigoris, nam summa intensionem non patiuntur, sed solum excellentia.

Contra frigiditatem aquæ in summo.

Primum Argumentum est: Quia aqua generatur ex calido, pluvia enim fit ex vaporibus calidis, vi caloris levibus effectis, & sursum ascendentibus. Ergo & ipsa aqua calida est.

RESPONDETUR huic objectioni: pluviam fieri per frigus mediæ regionis aëreæ, in qua de vaporibus calidioribus, illuc elatis, ibique frigidatis & densatis, concresecunt aquæ pluviales, quod quidem non est proprie & substantialiter generari aquas ex vaporibus calidis, sed est solum vapores calidos, qui sunt substantialiter, a-

qua, indebitè se habens, recuperare connaturale suum frigus, & suam nativam humiditatem sine quibus, substantiæ aquæ, non tribuitur denominatio aquæ, aut pluvie, sed vaporum.

Quia verò contra hanc responsionem objici potuisset, quod scilicet vapores ex illis ascendentibus & in opercula impingentes, calore generantur.

RESPONDET idem calore, non verti vapores substantialiter in aquam, sed cum sint substantialiter aqua rarior, solum conantes sursum evadere comprimuntur ex iisque confluit aqua.

Referri id posset etiam in hoc principium quod vaporæ illi natura suâ redeant ad pristinum frigus & quando derisuntur decidunt in terram hocque est ipsum pluvie. Quæ responsio non recurrit ad hoc quasi ab aëre frigefiant illi vapores.

Secundum Argumentum. Quia aqua excessu caloris non corrumpitur sed fit vapor, qui adhuc est substantialiter aqua, excessu autem frigoris corrumpitur, vertitur enim in glaciem, ergo apparet non esse illam in summo frigidam.

RESPONDERI potest. Vapores cum sint substantialiter aqua, hinc non debet dici quod corrupta aqua in illos resolvatur, sed tantum quod secernantur calore, & attenuentur raritate inducta, consequanturque levitatem vi cuius assurgunt; glaciæ etiam non est corruptio aquæ, nec est acquisitio majoris frigoris, sed spirituum aluminis & salnitri. *Sed ad difficultatem descendendo,*

ASSERO 1. Nullam esse rationem à priori, quæ convincat, potius frigiditatem, quam humiditatem in summo convenire aquæ.

RATIO Asserti, solutio argumentorum supra relata.

ASSERO 2. Attendendo ad experientiam sensuum, potius tribui debet aquæ humiditas in summo. Tum quia nullum aliud est elementum ita humidum. Tum quia frigus etiam in aliis experimur, non minus quam in aqua, nullibi autem experimur tantam humiditatem. Tum quia & resistentia humiditatis & activitas major est in aqua, videturque strictius semper illam sibi vincere, quam frigiditatem: Ergo illa potius poni deberet in summo.

ASSERO 3. Ex dictis supra, hoc ipsum adhuc certo non constare, quia posset hoc non in rationem summitatis gradus, sed in conditionem qualitatis & subiecti referri.

Punctum Difficultatis 3.

Quæ combinatio aeri debita est terræ?

Quod

Quod ad aerem attinet.

Pro frigiditate aeris.

Primum Argumentum est ex Hurtado. Quia non est alia qualitas, quæ ei tribuatur in summo.

RESPONDETUR Negando; ex dicendis infra, antecedens.

Secundum Argumentum. Aer in media regione, in qua expeditior est ab omnibus contrariis, est valde frigidus, ut patet, conscendenti montes altissimos. Unde etiam in illis servari potest nix continuò.

RESPONDETUR huic rationi recentior Suarez. ab extrinseco illic frigiditatem provenire, nempe à spiritibus frigidissimis, sive illi vapores sint, sive spiritus. Contra arguit Ariaga: Aerem secundæ regionis esse serenissimum, consequenter illis exhalationibus vacuum, non ergo in illas frigus rejici debet. Deinde illæ exhalationes vel sunt calidæ vel frigidæ, si calidæ, Ergo debent potius augere calorem, non possuntque per antipéristasim intendi, quia non habent contrarium circum obstitens, cum & illæ sint calidæ, & aer calidus; Si sunt frigidæ, quod id probabis, non petendo principium.

RESPONDERI potest secundò. Frigiditatem illam referendam esse in vapores, qui quia non sunt multum terrei, nec multum humidi serenitatem non impediunt, & sicut quando sunt frigidissimi venti, potest esse serenitas, Ergo & de aere idem dicendum, illos autem esse frigidos à posteriori ostenditur ex illo frigore aeris, qui cæteroqui probatur ab oppositis esse calidissimus. Non est etiam universale, quòd in altissimis montibus nives reperiuntur, experientiaque docet ningere interdum sub altissimis montibus, serenitate supramanente, & sicut cum pluvie debet in æstate, ab impendentibus nubibus fugiunt calidæ exhalationes, faciuntque aerem magis calidum, sic vicissim, dum frigidæ fugiunt superficiem terræ calefactam, faciunt aerem frigidum.

RESPONDERI potest tertio. Non constare quanta elevatio sit necessaria ad hoc, ut censeatur aer esse in æqualitate, statu, & conditione sibi proportionata. Hinc quamvis concedatur altissimos montes habere frigidiores aerem, non sequetur jam, quòd eo casu sit in statu sibi debito; Et certè vel in illis montibus sunt nives, & venti, vel non: si sunt nives, nec contra calorem, nec pro frigore aeris, certo urgeri potest. Nam defectus caloris in nives, positio frigoris in eandem referri debet. Quod si desunt nives & venti, ad situm tamen frigis, dicitur cum Conimbricensibus, mediam regionem aeris à DEO creatam esse frigidam, contra quidem inclinationem aeris, sed ita deposcente ordine universi. Nisi hæc doctrina videatur ad placitum adferri.

Tertium Argumentum est quo utitur Ariaga, quia aer ubicunque ab agentibus extrinsecis

validis liber est, statim frigidus est, & ita in nocte semper est frigidior. Loca item æstate clausa, frigidiora sunt, partes item Septentrionales, frigidiores Meridionalibus.

RESPONDERI potuisset huic difficultati, quia cubicula hyeme sunt calida, ad quæ venti non permeant. Ergo etiam inferri poterit ex eadem instantia calor aeris. Ut id solvat Ariaga, dicit id referri posse, quia agentia frigida multum illic operari non possunt. Sed similiter dici posset calidum esse aerem, si adsunt repulsiva agentium frigidiorum. Unde dici posset noctu aerem frigidum esse, quia cum in regione infima non sit purus, sed mistus multis vaporibus, qui ipsi fugiunt activitatem Solis, & illo abscedente frigeant.

Quartum Argumentum ejusdem est. Aer motus flabello refrigerat, Ergo natura sua est frigidus. Nam motus in rebus calidis excitat calorem, frigus verò in frigidis.

RESPONDETUR. Aerem istius infimæ regionis, frigidis vaporibus esse plenum, & hos impactos faciei refrigerationem illam adferre, & sicut ex foliis, quæ ignito carboni materiam suppeditant, illumque fomentant, non rectè colligitur calor aeris, ita nec rectè colligitur ex flabello frigus.

Quintum Argumentum ejusdem est. Quando homo patitur colicam, aer intus inclusus, naturali sua frigiditate hominem vexat, tantumque rerum calidarum applicatione ei mederi possumus.

RESPONDETUR. Negari posse quòd aer aliquis corpus intret, quam is, qui respiratione trahitur, hic autem non nisi calefactus immittitur, concessio autem quòd etiam alius aer immittatur, facile negari potest illum etià permeando non calefieri, sed posito etiam, quòd revera aer tunc frigidus noceret, frigiditas ejus in misturas referri potest. Causa etiam doloris colici, etiam in calorem rejici potest, nempe in spirituum calidorum copiam, qui vexant intus quaruntque locum quæ evadant, hinc ei dolori, non aliter mederi possumus, quam laxando poros, quibus laxatis, exeunt illi spiritus.

Sextum Argumentum est. Quia observatum est à multis, diabolum in corporibus aereis assumptis, non posse tantum calorem efficere, quantus est hominis, quod falsum esset, si aer esset summè calidus.

RESPONDETUR. Hoc argumentum utrumque probare, nam probat aerem esse calidum & frigidum, calidum quidem, quia corpora illa sentiuntur calida, quamvis non eo temperamento quo humana, frigidum autem, quia non accedunt ad calorem humanum. Addit recentior Suarez, diabolum esse potius sollicitum de externa figura, non autem de calore, fortè etiam Deus ob suæ providentiæ fines ordinavit, ut illa differentia in corporibus appareat.

† (G) 3

Septi-

Septimum ARGUMENTUM est. Quia juxta cœlum lunæ, est ignis elementatis, Ergo necessarium fuit, ut nimius illius calor, temperaretur aëre frigido.

RESPONDETUR. Hoc argumentum potius probare, debuisset illic poni elementum calidum, ne posito frigido, pugnarent inter se. Quod si dicas illum ignem non esse inibi activum, cur ergo poni jam debebit elementum, quod temperet calorem illius, sua frigiditate.

Pro caliditate Aëris.

Primum ARGUMENTUM Commune est. Possibilis est combinatio humiditatis & caloris. Ergo datur. In nullo autem elemento poni debet nisi in aëre.

RESPONDETUR. Non secundum omnes possibiles combinationes, est numerus elementorum & constitutio; de quo supra.

Secundum ARGUMENTUM est ex recentiori Suarez per experientias.

Prima Experientia est; quia res calore attenuata, in aërem resolvuntur, ut patet in aqua, quæ in lebe, dum igne calefit, minuitur.

RESPONDETUR. Experientiam non convincere: quia res calore attenuata, interdum resolvuntur etiam in aquam, quæ est frigida.

Secunda Experientia est, quia ea quæ sunt magis aërea, sunt etiam magis calida, ut mel, oleum.

RESPONDETUR. Etiam illum calorem, in alias misturas & temperamentum referri debere, non in aërem, dici etiam potest, oleum & mel, ignea potius esse, quàm aërea.

Tertium ARGUMENTUM. Levitas est comes signumque caloris. Sedaër est levis. Ergo calidus.

RESPONDETUR. Levitatem hanc pensari vel maxime ex aëre infimæ regionis, qui vel maxime experientia nostræ subest, quem tamen constat multis misturis plenum. Levitas ergo hæc in aliud principium referri posset. Rursus nec aërem, nec ignem, purum misturis habemus, & tamen aër superponit se igni, ut videri est in foliis, à quibus impactus aër, superponit se carbonibus ignitis. Denique levitas illa aëris, non in calorem qui major est in igne, sed in conditionem ipsius corporis, referri posset.

Quartum ARGUMENTUM est. Quia nimio calore, in aërem aqua convertitur, & nusquam frigiditate convertitur in aerem. Ergo calor & non frigiditas humiditatem aeris comitatur. Nulla enim substantia gignitur qualitate opposita, proprio temperamento.

RESPONDETUR. Liquor glacie constrictus, glacie dissoluta non tantum spatium occupat ut ante; cujus ratio reddi potest, quod partes aquæ, frigore in aerem abierint. Quod si dicas frigore excludi non nisi partes aeris, non verò partes aquæ in aerem converti. Idem dicent oppositi. Deinde, quamvis nulla substantia, possit à qualitate opposita proprio temperamento,

per se loquendo gigni; tamen per accedens id contingit: ut dum operculum, calido superpositum, madefit. Et ratio est, quia fieri potest ut partes aliquas ita alteret calor, ut quamvis non sint capaces & gignantur, destruantur tamen in illis forma misti. Jam ergo in elementum aliquod resolvi debent; & quia fieri potest, quod sit res levis, non poterit habere debitas terræ dispositiones; fieri item potest ut non habeat pondus illud requisitum ad aquam, debeatque generatio aëris resultare. Quando autem ad hoc recurritur: Quod si ponatur aër humidus & frigidus, nulla cognatione vicino elemento, scilicet igni, aer sit conjungendus, adeoque turbandum ordinem elementorum, id non convincet; nam negabitur talem ordinem debere poni, diciturque talem esse ordinem elementorum, ut superemineat summè calidum ignis, infra sit summè frigidum aer, tum summè humidum aqua; denique summè siccum terra.

Quintum ARGUMENTUM est. Quia aer in locis humidis & frigidis, putat in terræ cavernis, vertitur in aquam, non aliam ob causam, nisi quia frigus simul cum humore, est dispositio aquæ, non aëri debita. Deinde quia aer & aqua debent habere virtutes, per quas possent agere in se, & pati, exigente id mistorum temperie. Hæc autem ex parte aeris non potest esse alia, quàm calor; & ex parte aquæ frigus.

RESPONDETUR. Quoad primum, illò potius probari aerem esse frigidum; quia elementa symbolas qualitates habentia facilius in se convertuntur; cum ergo in illis locis facile aer convertatur in aquam, quæ est frigida, & ipse debet esse frigidus. Rursus dici potest, quod aer in illis locis hauriat multos vapores, levitati suæ contrarios, commodos gravitati aquæ, in quam etiam solvitur.

Quod attinet ad alterum. Agent adhuc contra se aer & aqua, secundum aliam qualitatem, quia aer agnoscens ipso Ariaga, est siccus; humida aqua.

RESTAT adhuc inquirere. An aer sit humidus, an siccus. Pro siccitate aeris stat Ariaga cum Stoicis. Hoc ut pensetur.

Pro siccitate Aeris.

Primum Argumentum est ex Ariaga; quod non habeat tantam humiditatem aer; quantum aqua, vel hoc ipsum ostendis, quia aqua magis humectat.

RESPONDETUR. Potest humectare quidem magis aqua, & hoc probat, quod sit magis humidus; sed non non sequitur, quod aer non sit humidus, licet non æque ac aqua.

Secundum Argumentum: quia aer nimis humidus convertitur in aquam ut constat experientia. Ergo humor in summo non est proprietas aeris; sed aquæ consequentia probatur: quia nulla forma ejicitur è subiecto, & in aliam convertitur per qualitatem propriam formæ ejectæ.

RESPON-

RESPONDETUR ex dictis, per se id non fieri per accidens tamen id contingere, de quo in simili supra actum.

Tertium Argumentum, aqua non est summè frigida. Ergo est humida. Ergo id aëri non competit.

RESPONDETUR. Quod querendum refert, an saltem in excellenti non sit humidus aër, De antecedenti esse difficultatem supra inuimus.

Pro humiditate Aëris.

Primum Argumentum Oviedo est. Humidum ex Aristotele est illud quod non facile proprio termino, sed alieno terminatur. Hæc definitio præ omnibus elementis competit aëri, facilius enim aër continetur intra telam, valde tenuem quam aqua.

RESPONDETUR. Telam duplici modo posse continere aërem. Primo quod sit valde porosa, ita ut exeunte uno aëre, subintret alius, & sic non potest probari quidquam pro humiditate aëris. Quod si tela non sit porosa, adhuc non probabitur humiditas, ad eum modum, quo non probatur lanæ vel milii humiditas, licet advolvatur lateribus vasis; quodque facilius contineatur aër intra telam, illud exinde proficiscitur, quia non est corpus ita densum aër, atque est aqua.

Secundum Argumentum est. Quia aqua est summè frigida. Ergo tantum aër habet humiditatem in summo.

RESPONDETUR negando in aliorum principis antecedens.

Tertium Argumentum est. Quia eo modo congruè disponuntur elementa, non enim duo contraria, videlicet summè calidum, summè frigidum immediatè collocabuntur, sed medium aliquod constituetur.

RESPONDETUR. Sicut nihil obest, quod in sententia Oviedi, in excellenti sicco, in summo humidum, sic nec oberit ut summè calido, supponatur summè humidum. Rursus dicerent oppositi, quod ille est optimus ordo elementorum, qui est magis proportionatus naturæ eorum, unde non debent naturam talem habere, quia ita collocari debent, sed ideo collocari debent, quia habent talem naturam. Cum ergo aliunde non probetur aërem esse summè humidum, ex collocatione elementorum, nihil decernetur. In sententia etiam Ariagæ medium aliquod ponitur inter duo opposita, quia ignis est calidus & siccus; jam autem aër est siccus & frigidus, ubi ratione qualitatis symbolæ, quæ est siccitas, non ponentur immediatè, & se totis, contraria.

Quartum Argumentum ex Recentiori Suarez. Aqua elementaris, non est magis humida, quam aqua rosacea, vinum, & cætera, & tamen ista non sunt humida in summo, sunt enim mixta.

RESPONDERI potest retorquendo argumentum. Si ponatur vinum in profundo puteo non minus erit frigidum, quam aqua, neque tamen arguitur quod summa frigiditas, non competat aquæ. Ergo nec in præsentī bene arguetur.

Deinde ad objectionem dici potest magis esse siccum vinum, quam aquam puram, est enim vinum mixtura corpus, licet illa siccitas, propter excessum liquiditatis, non appareat.

Quintum Argumentum pro eadem sententia sumi potest. Quia ea quæ in oppositum adducuntur facile solvi possunt. Nam si dicas aërem exsiccare, referri id poterit in exhalationes. Si dicas aërem tempore pluvie reddi humidiorē non redderetur autem si esset in summo humidus dici, poterit reddi tunc aërem magis humidum, hoc est crassius humidum, in quod etiam principium referri potest, cur magis humectet aqua, quam aër. Quia scilicet id densius facit.

Pro hac sententia notat recentior Suarez humiditatem dupliciter spectari posse. Primò activam, & hæc humiditas competit potius aquæ secundo passivam, quæ sita est in minore consistencia; in suo proprio termino, & hæc magis competit aëri, magis enim delabitur & defluit.

Quæ combinatio Aëri debita.

ASSERO 1. Attendendo ad mentē Aristotelis, aërem esse humidum & calidum, expressa est illius autoritas secundo de Generatione, textu vigesimo tertio: *Cum simpliciter inquit quatuor sint: quodque unus est, terra, siquidem siccus potius est quam frigidus, aqua vero frigidus magis quam humidus, aër humidus magis quam calidus, ignis calidus magis quam siccus.*

ASSERO 2. De humiditate aëris, vel ejus siccitate, frigiditate item vel caliditate per experientiam nihil concludi potest.

RATIO est. Quia cum elementa multis sint peregrinis qualitatibus; apud Nos referta, quidquid attuleris, in peregrina rejici poterit principia, licet magis experientia stare videatur, potius illum esse siccum quam humidum, & potius, frigidum quam calidum, idque probant experientiæ allatæ, & cum nulla ratio manifesta urgeat, pro illius humiditate, quis unquam controversiæ ignarus, ex solo judicio sensuum, dicat se humectari ab aëre.

ASSERO 3. Si nomine humiditatis non aliud intelligas quam id quod facile cedit, eo sensu aër est magis humidus quam aqua, facilius enim cedit.

De Combinationibus Terræ.

Communior sententia tenet, terram esse siccam in summo, & frigidam in excellenti. Ratio est. Ipsa auctoritas Scripturæ appellantis terram siccam & aridam, & quia siccum maxime resistit figuræ alienæ, ex elementis autem hoc vel maxime competit terræ; condistinguiturque adhuc sua combinatione ab aëre, quia

† (G) 4 ille

ille non est in summo siccus. Ignis autem qui ex terra oriuntur, referuntur in mineralia, quæ fol in visceribus terræ operatur, & materiam, concipiendo igni aptam.

QUÆSTIO II.

De ipsa Mistione.

DUO hic præcipue attingentur. Imprimis natura ipsius Mistionis, deinde an Mistum deponat in se actualem, an virtualem remanentiam Elementorum.

DIFFICULTAS I.

An, Quid, & Quarum Conditionum Mistio?

QUOD Quæstionem, An detur Mistio; communis sententia illam admittit. Tum quia experimur ex variis Mistionibus varia generari. Tum quia ut ait recentior Suarez data causa, & non impedito effectu, sequitur effectus; datur autem causa Mistionis, nempe mutua contrariorum actio, & non apparet impedimentum effectus. Tum quia non omnia, quæ in orbe sunt, sunt aut terra, aut aqua, aut ignis, aut ær. Ergo dantur aliqua præter hæc, & hæc vocantur Mistia, cum suo modo contineant etiam illa priora.

Quando autem dicitur Mistia ideo non dari, quia fierent ab elementis, ab elementis autem fieri non possunt, cum sint nobiliora illis, nobilior autem ab ignobiliore non fit: id non convincit, nam in eo in quo fiunt, non sunt nobiliora Mistia elementis, quanquam effectus æquivocus, potest esse nobilior sua causa. Sed quicquid sit de hoc, Mixta excedunt præ elementis ratione formæ, quam tamen non producant elementa, sed aliud principium.

Quoad quæstionem: Quid sit Mistio?

Mistionem definit Aristoteles. Primo de generatione, textu vigesimo: quod sit mistibilium alteratorum unio. Videtur hæc descriptio non esse bona. Ratio, quia de hoc ipso quæritur, quid sit hoc ly mistibilium, & qui ignorat mistionem, ignorat mistibile, concedo quidem posse descriptionem procedere per causam, sed tunc quando ipsa causa aliunde est nota, aliunde autem ignoratur causa mistionis.

Quando autem alii ad salvandam definitionem, ad id recurrunt, quod ly *Unio*, positum in definitione, supponat pro generatione substantiali, terminata ad inductionem formæ misti, in materiam, mistibilium, sufficienter præparatam, alteratam, continuatam. Id etiam non convincit, quia quærere restat, quid est non quidem generatio substantialis, hæc enim alibi supponitur definita, sed quid significat generatio substantialis ly *Misti*.

EXPLICATUR I. Mistio ab aliis apud Oviedo. Quod scil. mistio sit generatio corporis re-

sultantis ex contrariorum congressu. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia ut sonat definitio hæc accepta, supponit potius debere fieri congressum elementorum, & pugnam, antequam dicatur fieri mistum; quod est falsum: quia potest bene ab ipsomet Deo immediate produci, & revera potest esse mistum, quamvis non ex pugna contrariorum. Deinde cum mistio sit aliqua generatio, sicut generatio non debet dici generatio corporis, sed potius generatio totius, sic & mistio non debet dici generatio corporis, sed generatio totius.

EXPLICAT 2. Ariaga: quod mistio sit duorum corporum alteratorum unio. *Hæc descriptio*

NON SATISFACIT: quia alteratio videtur debere præcedere mistionem, quæ tamen præcedentia ut dixi ad mistionem non requiruntur; mistum item præsens quatuor includit elementa, non ergo debet esse duorum corporum unio. Ut hæc descriptio aliæq; similes, imò & Aristotelica definitio explicari possit, & ab impugnationibus allatis defendi.

SUPPONO I. *Triplicem in presenti mistionem cogitare possumus.* Primo corporum notabiliter discretum numerum constituentium, quando intra idem spatium includuntur, & sic v. g. miscetur triticum cum pis. Secundo mistio est corporum continuatorum fluidorum simultanea permeatio, & hac ratione aqua miscetur vino. Tercio prout hic de mistione agitur, vicus resultat aliquid ex elementis.

SUPPONO 2. *Mistionem ipsam, prout hic de illa agitur dupliciter spectari posse.* Primo pro actione, ex qua resultat mistum, & hæc adhuc duplex spectari potest; scil. ipsorum elementorum inter se, & de hac idem dicendum, quod de reactione & repassione; vel certe sumi potest actio extrinseci, quæ ipsa actio extrinseci agentis, duplex spectari potest.

Primo, applicativa nonnisi elementorum, & de hac in presenti nulla est difficultas, vel certe productiva ipsius formæ misti, & de hac ita discurrendum ac de reliquis generationibus.

Secundo sumi potest mistio pro ipsa ratione formali, & ut quo, & hæc non aliud est, quam ipsa unio, de qua proportionaliter loquendum sicuti sumus locuti de unione substantiali.

Tercio sumi potest pro ipso termino seu ratione formali ut quod: de sic sumpta mistione, ita in pluribus discurrendum, sicut de toto composito. Utroque hoc posteriori modo sumpta mistio in presenti considerari debet.

SUPPONO 3. *Ly mistibilium ly unibilium & alios terminos tripliciter adhuc spectari posse.* Primo pro eo quod alteratum non est v. g. sed alteratur. Secundo pro eo quod jam v. g. non alteratur actu sed alteratum est. Tercio sumi potest pro ratione communi ad hæc membra, quod alteratum est, vel alterabitur. *His suppositis*

EXPLI-

EXPLICATUR mistio. Pro ratione formali, ut quo sumpta, quod sit mistibilium alteratorum unio. Ita Aristoteles: Et deinde, quia formalis ut quo missionis, non est aliud, nisi ratio per quam mistum ut quod constituitur, jam autem mistum ut quod, non alio ut quo constituitur nisi unione, & quia hoc quod hic definitur est mistio ut sic accepta, quando ponitur *Ly mistibilium*, non ponitur definitum in definitione, quia hoc definitum in presenti est ratio formalis ut *quo*, non autem ut quod, quale est mistum. Ipsa autem mistio pro termino ad quem, seu ipsum mistum, est totum substantiale ex elementis alteratis constitutum; Unde si queratur, quid sit mistibilium alteratorum unio, bene ista mistibilitas per constitutionem ex elementis alteratis describetur.

Quod attinet ad conditiones Missionis.

Prima Condicio est. Ut non sit mistio secundum accidentia in eodem subiecto existentia, sed secundum ea, quibus competit esse completas substantias. Condicio hæc sumitur ex 1. de Generatione textu 28. propter defectum huius conditionis, materia & forma non dicuntur misceri, neque enim sunt completæ substantiæ, albedo item & nigredo.

Secunda Condicio. Ut mistibilia sint mutuo activa & passiva alterative, adeoque habeant communem materiam & accidentia. Unde duo Angeli si secum unirentur, non essent mistum, quia nec communem materiam nec alterativa accidentia habent. Sumitur id ex textu 87.

Tertia Condicio. Ut propter faciliorem missionem mistibilia sint divisibilia in partes exiguas, sumitur hæc conditio ex textu 84. defectu huius conditionis adamas non miscetur facile, cum aliis corporibus.

Quarta Condicio. Ut sint proportionata corpora ipsa, in ratione agendi, ex textu 88. & 89. defectu huius conditionis, si aqua guttam rogo infundas, non fit mistio.

Quinta Condicio. Ut mistibilia, possint ex quacunque misti parte generari, est conditio ex textu 47. Ratio quia ex quacunque parte non generarentur, jam supponeretur illa pars, non esse mistum.

DIFFICULTAS II.

Quomodo elementa maneat in Mistio.

Duplex est hac in parte sententia; alii dicunt formaliter entitateque sua retenta, esse in misto. Id docent ordinariè Medici quibus adhæsit Dandinus lib. 2. de anima digressione 8. Alia sententia docet elementa manere nonnisi virtualiter, hoc est, ratione qualitatum debitarum elementis, quæ restrictæ & temperatæ inibi sunt, estque communis reliquorum.

DICENDUM est. *Elementa manere nonnisi Virtute in misto.*

PROBATUR 1. Auctoritate Aristotelis de Generatione textu 84. & 89. & 2. de Generatione textu quadragesimo septimo & 2. de partibus animalium capite primo. Ratio ejusdem est. Elementa sunt omnium rerum principia prima, manereque debent in re genita, si enim non manerent, non essent prima principia, compositiva omnium, si manent, debent manere nonnisi virtute, quia aliàs non daretur vera generatio, sed solum alteratio, si enim erit aer, inquit Aristoteles 2. de Generatione textu 31. siquidem permanet, alteratio erit non generatio.

PROBATUR 2. Communi argumento. Vel formæ elementorum manent in eadem parte subiecti, hoc est materiæ, vel in diversis partibus. Neutrum dici potest; non secundum. Tum quia sequeretur quod nullius misti materia esset continua, nam ita distincta continuari non possunt, absurdum etiam est dicere, quod aurum purum, heterogeneas partes habeat, sequereturque contra Aristotelem 2. de Generatione textu 47. quod non ex qualibet parte misti segregari possent elementa, nec posset illud mistum, nisi ratione totius dici mistum; non autem ratione partium, haberetque se ratio misti sicut decem, quod singulis, suis partibus non convenit, sequereturque ulterius quod illud mistum, & esset arbor v.g. & aqua, quia utriusque haberet formam substantialem, nec jam pars misti appellabitur mistum contra Aristotelem 1. de Generatione textu 86. Non potest etiam dici primum, quia aliàs duabus formis substantiabilibus; una eademque materia informaretur.

PROBATUR 3. Vel in misto præter formas substantiales elementorum datur forma distincta realiter à prioribus, quæ sit forma misti, vel non datur; neutrum dici potest; quod ipsum probatur, si enim non datur præter formas substantiales elementorum, distincta realiter forma misti: Ergo nullæ res sunt distinctæ speciei, quia omnes habent easdem formas específicas, & nihil insuper substantiale specificum est in uno misto, quod non sit in alio, si autem insuper datur forma misti: Ergo non dantur formæ elementorum. Quod ipsum probatur; quia vel potest præstare totum id illa forma, quod præstarent elementa, vel non potest, si potest, ergo otiosa erunt ipsa elementa, si non potest. Ergo illa forma & esset forma misti, ut supponitur, & non esset forma misti: Quia sicut forma ignis, quæ non potest præstare id quod præstat forma aquæ, est forma nonnisi simplex, nec est forma misti, ita nec illa forma misti, erit forma misti; Nec apparet undenam transeat in denominationem, & esse formæ misti.

RESPONDEBIS, formam misti, se solam non posse præstare, quod præstant formæ substantiales elementorum; sed indigere formis illorum, tanquam dispositionibus.

CON-

CONTRA erit: Quia non est ratio, cur non sit contenta forma misti, solis qualitatibus elementorum, pro dispositione. Tum quia non est explicabile, an illarum dispositiones, sint in tota materia, an tantum in parte materiae. Tum quia talis collocatio formarum elementarium, vel est in homogeneis. Vel tantum in heterogeneis, si tantum in heterogeneis: Ergo ratio misti quae talis, salvari potest sine his elementis; cum ratio misti salvari possit in homogeneis. Si etiam in homogeneis. Ergo non erit jam homogeneum, quia involvit tot heterogeneitates formarum.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Auctoritas Aristotelis.

Prima est ex Metaphysicis ex 5. Metaphysicorum Textu 4. & 7. Metaphysicorum Textu 60. ubi definitur elementum esse id ex quo quidpiam fit, cum insit.

RESPONDETUR. Sufficere ut insit virtualiter, & quoad qualitates, ineritque misto elementum quoad suas virtutes.

Secundus Locus est. Quia sicut docet Aristoteles primi Physicorum Textu 83. Materiam inesse actu iis quorum est materia, ita secundi Physicorum Textu 31. dicitur, elementa esse materiam misti.

RESPONDETUR. Mistum habere materiam physicam, elementa autem sunt materia illius insuper, secundum suas qualitates spectata.

Tertius Locus est. Ex libro de caelo ubi 3. caeli Textu 63. docet elementa non retinere in misto propriam figuram.

RESPONDETUR. Inde non sequi, quod retineant suam Entitatem, quando autem 1. Caeli Textu 1. & 2. docet, mista moveri predominantis elementi motu, sufficienter ille locus intelligi potest, de Praedominio non secundum Entitatem, sed secundum qualitates.

Quartus Locus est. Ex libris de Anima ubi 2. de Anima Textu 39. dicit Aristoteles nisi Anima esset in corpore, fore ut elementa distraherentur, & propria loca capefferent; & Textu 62. quaeritur: cur elementa in sensu existentia, non sentiunt quae omnia supponunt dari actu elementa in misto.

RESPONDETUR. Primum Textum procedere contra Empedoclem, qui viventibus animam negabat, & dicebat plantas radicari, quia a terra ad centrum propelluntur, ramos vero se attollere quia ab igne sursum attolluntur. Secundus autem locus inquitur cur qualitates elementorum non sentiant; inde autem nihil evincitur contra conclusionem.

Quintus Locus est. Ex 1. De Penetratione Textu 34. ubi negat lignum cum igne misceri, qui lignum dum comburitur, vertitur in formam ignis: Ergo supponit ad misionem requiri ut mistibilia retineant formas.

RESPONDERI potest; non ideo praecise lignum non misceri cum igne, quia corrumpitur, sed quia vertitur in ignem, & non in aliquid tertium commune, ut debet fieri in misto. Quando autem textu 84. docet: posse elementa separari a misto, intelligendus est, non de separatione locali, sed de Generatione, eo quod in misto sint tanquam in medio communi, in quo virtualiter, ratione qualitatum continentur elementa. Dicit autem quod separari possint, non autem generari, ut ostendat diverso modo generari elementa ex elementis, diverso ex mistis. Nam universaliter quando elementum generatur ex elemento, non est necesse ut qualitates generandi, quoad utramque combinationem contineat in se elementum, sicut continetur in misto. Quando autem textu 90. dicitur ibidem, quod mistio sit elementorum alteratorum & non corruptorum mistio id non convincit; nam hoc solum vult Aristoteles, scilicet ipsas illas qualitates alteratas, & refractas esse debere, nec dicit simpliciter elementa corrumpi, cum quoad virtutes contineantur in misto.

OBJICIUNTUR 2. aliqua principia.

Primum est, quod ex qualitatibus colligatur esse alicubi aliqua forma, & sic ex qualitatibus & dispositionibus arboris, colligitur Cedrum esse arborem. Ergo cum per nos maneat qualitates elementorum in misto, poterit colligi manere formas.

Secundum Principium est, quia forma eo usque durat, quousque habet suas dispositiones, elementa autem habent suas dispositiones in misto.

RESPONDETUR utrique principio: quod qualitates & dispositiones non quomodocunque sumptae arguant formam, alias cum accidentia quae erant in genito, maneat in corrupto, deberemus asserere, quod simul sit corrupta & genita forma. Tunc ergo qualitates & dispositiones arguunt formam substantialem, quando habentur ultimae dispositiones & in mensura requisita, cum tamen in misto virtutes elementorum sint refractae.

OBJICITUR 3. Mistio est elementorum unio. Unio autem arguit existentiam unibilium.

RESPONDETUR. Talis arguitur existentia unibilium ex unione, qualis supponitur esse unio. Et quia supponitur esse unio, non nisi ratione qualitatum elementarium attemperatarum, etiam non nisi illae qualitates manere debebant.

OBJICITUR 4. Res in quae resolvitur, ex his & componitur. Mistum autem resolvitur in elementa.

RESPONDETUR. Resolvi hominem in elementa non proprie, sicut dum fit resolutio in materiam & formam: sed improprie; quia tum primum ex misto generantur. Unde quando stillat arbor, non est illic aqua elementaris, nec spiritus in animali sunt realiter ignis.

Obji-

OBJICITUR 5. Cum elementa miscentur aut nullum elementum vincit, & tunc non dabitur vera mistio, aut vincit, & tunc non dabitur mistum, sed tantum erit elementum quod vincit. Ergo debent omnia vincere, & sic omnia propriam formam producent in materia misti. Ergo formæ illorum manebunt in misto.

RESPONDETUR. Quod vincant omnia elementa in misto, ratione qualitatuum elementis debitarum, quæ etiam qualitates manent in misto, à forma autem accedente misti vincuntur vel maxime, quæ etiam manet in misto.

QUESTIO III.

De proprietatibus misti.

NOMINE proprietatum primarum misti, accipiendæ hic sunt qualitates, quas principia misti, hoc est elementa, misto adferunt. Nomine autem qualitatuum secundarum, veniunt virtutes motivæ elementorum, quæ non ideo secundæ appellantur, eò quod ex primarum qualitatuum pugna & mistione veniant, sicut veniunt colores, sed quia supponunt primas qualitates, & ad earum variationem variantur. Hæ autem virtutes elementorum, motivæ ad capiendum locum, sunt gravitas & levitas.

Nomine autem gravitatis & levitatis, veniunt principia, quorum primū inclinatur sursum, secundum autem inclinatur deorsum, vel attendita phrasi Aristotelis ex primo cœli textu 1. & 4. cœli textu 6. Grave est quod ferri natum est ad mediū, hoc est ad centrum mundi. Leve autem, quod ferri natum est ad extremum, seu sursum, quæ descriptio distinguit dictas qualitates ab impulsu: quia hic non est determinatus ad motum sursum tantum, vel tantum ad motum deorsum, cum possit vel circulariter, vel per lineam rectam procedere. Distinguit item à virtute motiva animalium, quia hæc est principium motus progressivæ, subditur appetitui &c. quod non ita se habet in gravitate & levitate.

DIFFICULTAS I.

An gravitas & levitas sint qualitates distinctæ realiter.

COMUNIS sententia tenet esse distinctas realiter, negat Valefius, Ariaga, Pontius.

DICENDUM est, *Gravitatem esse qualitatem distinctam realiter à substantia*, adeoque verum accidens Physicum.

Pensanda sunt argumenta pro hac sententia.

Primum Argumentum commune adferri solet. Quia in Eucharistia, datur gravitas panis, & tamen non datur substantia panis.

RESPONDET Ariaga, non dari formaliter gravitatem, seu formam gravitatis, sed tantum effectum ponigravitatis, hoc est impulsus.

INSTAT 1. recentior Suarez. Eodem jure

dicere possemus illic non manere colorem & saporem.

RESPONDET Ariaga, non debere ponderari quæ sint accidentia, vel substantia rei (his exceptis quæ sensu percipiuntur) ex mysterio Eucharistiæ, sed ex aliis principiis Physicis; cognito autem quæ sint accidentia, debemus universaliter dicere, ea omnia manere in venerabili Sacramento. Addit idem, etiam si quis diceret albedinem non esse distinctam à luce, consequenter non esse illic albedinem distinctam, sed lucem solam, non posset ex hoc mysterio ullo modo redargui, sed aliunde.

INSTAT 2. Recentior Suarez. Aut in accidentibus Eucharisticis admittitur vera gravitas, aut non, si primum. Ergo distinguitur realiter à substantia, si secundum multiplicabitur miraculum, de quo non meminere Patres.

RESPONDET Ariaga, potius à communi sententia multiplicari miracula, nam admissa gravitate distincta, illa debet conservari efficienter à substantia rei gravis, non enim est qualitas quæ conservatur in subiecto ante formam substantialem, sed neq; emanat ab illa. Ergo si hæc gravitas conservatur, duplex datur miraculum nempe accidentis sine substantia servati, alterū quod sit sine causa efficienti, cum tamen Ariaga non nisi unum miraculum ponat, nempe suppleti sine causa naturali impulsus.

Commune tamen argumentum hoc, restaurari sic posset. Quia si dicatur, quod non nisi effectus gravitatis suppleatur in Eucharistia à Deo, subruitur modus arguendæ distinctionis realis accidentium Physicorum. Quod ipsum probatur, quia non alius est modus arguendæ distinctionis realis, quam separabilitas aliàs explicata, & tamen ipse fatetur, ex aliis principiis Physicis petendum id esse, cum tamen non habeatur exemplum separabilitatis, accidentis à substantia ad permanentiam accidentis, nisi in Eucharistia. Deinde non rectè per Ariagam ex Eucharistia deducitur distinctio gravitatis, quantitatis, albedinis. Ergo si ratio consulatur, & non attendatur ad phrasas Patrum, nullum accidens esse separatum à substantia panis actu, sed non nisi effectus illorum suppleri à Deo, & ad salvandas phrasas Patrum, dicam quod non doceant manere accidentia, secundum formas, sed secundum effectus illorum, dicamq; ipsa accidentia non esse separabilia realiter, nec distincta realiter, eò quod nullum sit ad hoc fundamentum, & nulla necessitas, sed esse non nisi necessitatem & fundamentum, distinguendi effectus accidentium à substantia, non autem formas accidentium.

Restaurari item posset idem argumentum; quia quodcunque fundamentum adferet distinguendi Ariaga saporem v.g. vel quodcunque aliud accidens, idq; ad sui etiam permanentiam, idem adferri potest quod distinguatur gravitas.

Restau-

Restaurari denique posset, quia ex dictis illius constat, quod bene arguatur distinctio realis eorum accidentium, quæ sensu percipiuntur, quæ ergo est taxa quod legitime sensu percipiantur sapor in Eucharistia, idque secundum ipsam formam, non autem effectum illius, & non rectè percipitur forma gravitatis, sed percipitur sensu non nisi illius effectus.

Secundum Argumentum est, quo utitur Oviedo. Gravitās & levitas non identificantur cum materia, eadem enim materia gravitat sub una forma levitat sub altera; non item gravitas & levitas sequuntur formam, quia forma spiritualis non gravitat, & tamen corpus humanum gravat. Item gravitas & levitas non sequitur unionem, si forte hæc sit in homine spiritualis, seclusa; unionem, in mortuo manet gravitas. Denique non identificatur composito, quia illud nihil est aliud præter illa tria. Ergo gravitas debet esse quid distinctum à substantia.

RESPONDET Ariaga, quod gravitas posset sequi formam. Anima autem rationalis licet in se sola non sit productiva motus deorsum, in his tamen circumstantiis gravitat, sicut eadem anima sola non famescit, posita tamen in corpore, famescit, videt posita in corpore, non videt extra corpus.

INSTAT. Oviedo sse disparitatem inter visionem v. g. & inter gravitatem; quia scilicet potentia visiva, est productiva visionis, quæ est accidens corporum, nec potest educi ex subiecto spirituali, neque item potest produci sine concursu specierum, quæ etiam ipsæ in subiecto materiali recipi debent, quæ omnia sunt materialia, defunctæque animæ separatæ; terminus autem producendus à gravitate, tantum est præsentia localis; & actio ejus, est motus localis, ex vi cuius producitur hæc præsentia. Jam autem nec præsentia localis, nec actio illius productiva ullo ex capite indiget subiecto materiali.

RESPONDERI potest, argumentum probare multum etiam in principiis Oviedo, probaret enim gravitatem non esse qualitatem materiale, cum nec actio, nec terminus illius, deponant subiectum materiale.

Restaurari tamen potest hoc argumentum sic: Quia in principiis Ariaga, idem corpus nunc majorem, nunc minorem producit v. g. motum deorsum, cuius ratio reddi non potest, nisi concedatur gravitatem habere majus & minus, nam ipsæ formæ spirituales eadem manent, imò & materiales, si sunt indivisibiles. Materia etiam de se non gravitat.

Tertium Argumentum sit autoritas Aristotelis ex secundi de Generatione textu octavo, quinti Metaphysicorum textu 19. secundi de partibus animalium capite 1. ubi gravitas & levitas numerantur inter qualitates tangibiles.

OBJICITUR 1. cum Valesio apud Oviedo. Si gravitas & levitas essent accidentia distincta,

convenirent corporibus absolute in ordine ad se, in certa & determinata intentione, sicuti competit calor & frigiditas, cuicunque corpori, sed gravitas & levitas non ita subiecto conveniunt; sed respectivè & in ordine ad aliud; si enim absolute convenirent, eodem modo respectu cuiusvis mediæ convenirent, non convenire autem eodem modo, ostendunt experientia.

RESPONDETUR. Quamvis calor ignis A, respectu ferri igniendi, non habeat tantam efficaciam, quantam respectu stipulæ igniendæ, tamen id non probat calorem non esse qualitatem respectivam, & non absolutam, ergo nec hic probabit. Quod autem libra huius corporis supernatet aquæ, libra alius non supernatet, referri debet, vel in poros corporis, in quos se insinuat aqua, & ipsum corpus attollit, vel referri debet in aërem in corpore supernatanti inclusum, qui etiam attollit corpus. Referri item debet in temperamentum.

OBJICITUR 2. cum Ariaga: Nullum esse fundamentum distinguendi à substantia, gravitatem & levitatem.

RESPONDETUR. Quodcunque Ariaga assignaverit fundamentum distinguendi alia accidentia, idem in præsentia assumemus.

OBJICITUR 3. Potentia loco motiva in animali non distinguitur realiter ab anima. Ergo nec gravitas quæ est potentia loco motiva deorsum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia non videmus potentiam loco motivam esse separatam ab animali: Jam autem gravitatem panis, sentimus in Eucharistia sine substantia panis, quam illic sentiri idem fundamentum habetur, quod habetur sentiri saporem panis, sine substantia panis.

DIFFICULTAS II.

An Gravitās & Levitas sint qualitates speciales.

Sensus tituli est, an gravitas & levitas identificentur primis qualitativis, earumque temperamento, an verò sint quid distinctum realiter ab illis. Esse has qualitates distinctas docet communis sententia. Negat Oviedo & Recentior Suarez.

DICENDUM est, Gravitatem v. g. esse distinctam qualitatem à primis qualitativis.

PROBATUR 1. Quia vel gravitas in una tantum qualitate consistit, vel in duabus, vel in omnibus. Si in omnibus qualitativis consistit levitas & gravitas. Ergo elementa nulla dantur graviora, nulla leviora, quia elementa non habent combinationem omnium qualitativum: hoc ipso enim mista foret; si autem in duabus qualitativis consistit gravitas & levitas. Quæro an æqualiter in utraque prima qualitate consistant,

sistunt, vel non æqualiter. Si non æqualiter, non erit ratio major unius quam alius, qualitatibus. Si æqualiter: Ergo nullum elementum dabitur simpliciter grave, vel simpliciter leve; quia adjunctum habebit principium, quod in alio elemento principiat gravitatem, in alio levitatem; quod proportionaliter applica si gravitas & levitas in una tantum qualitate consistant. *Hoc ulterius sic explanatur.* Ignis est levissimus; competit illi ex communis sententia siccitas & calor, quæro quid in igne principiet levitatem? si principiat siccitas simul & calor: Ergo terra non est summe gravis, quia competit illi principium levitatis; nempe siccitas; quod si levitatem principiat calor. Quæro quod ex principio levior est aqua, quam terra, cum illi calor nullo modo competat. Neque valet si recurras ad formam substantialem, sumptam cum certa combinatione, certè enim vapor est substantialiter aqua, & tamen levior est aqua. E-converso si siccitas est principium gravitatis in terra, erit & in igne, adeoque non dabitur quidpiam summe leve. Quod si frigiditas est principium gravitatis, etiam aqua erit summe gravis; est enim frigida. Quod si utrumque principiat summam gravitatem nempe & siccitas & calor, redit difficultas, quod etiam siccitas gravitatem in igne principiare deberet. Quæro etiam unde hoc habebit hæc qualitas, ut si cum hac conjungatur qualitate, faciat levitare, si cum alia, faciat gravitare: & si siccitas conjuncta cum alia qualitate non potest facere nisi siccum, cur siccitas quæ est principium levitatis, conjuncta cum alia qualitate, principiare poterit gravitatem.

PROBATUR 2. Quia magna parte dissoluta combinatione qualitatuum remanet eadem gravitas, ut patet in aqua calefacta, ferro ignito & cætera similia: Ergo apparet gravitatem, non sequi conditionem qualitatis.

PROBATUR 3. Quia in corporibus damnatorum receptus ignis, non facit corpora illa leviora, alias esse illis in centro terræ, esset contra inclinationem physicam, quam tunc haberent ad motum sursum.

RESPONDET I. recentior Suarez retorquendo argumentum. Ponatur gravitas & levitas, qualitates distinctæ, resultabunt nihilominus à temperamentis primarum qualitatuum. Cur ergo fundat in igne levitatem istud temperamentum, & in terra, vel aëre non fundat.

CONTRA. Quia in nostris principiis ratio reddi potest ejus quod quæritur, referendo gravitatem in formam substantialem, quæ sit nata principiare illam gravitatem, supposita sui unioni cum materia, in qua spectata quantitate, & ejus mole, proportionatam principiat gravitatem; hinc aqua est gravior vaporibus, quæ etiam substantialiter sunt aqua, quia materia va-

poris non est magna; & licet quidem etiam per nos gravitas supponat combinationem qualitatum, supponit tamen non præcisè ratione sui, sed ratione formæ, & ratione corporis cui competit; Hinc anima etiam rationalis, propter ordinem essentialem quem dicit ad corpus, potest idem præstare sine imperfectione, quod præstant formæ materiales; posita autem separatione, forma nata succedere, succedit etiam in officio gravitatis causandæ. Quod si Deus impediret, ne formæ substantiali, alia succedat, si nollet supplere concursum conservativum gravitatis, non esset cadaver grave. Sicut nec alia Accidentia haberet, si in dicto casu, nollet Deus supplere causas conservativas eorumdem.

RESPONDET 2. Idem. Gravitatem & levitatem consistere in temperamento, quod etiam admittit mixturam densitatis, & raritatis, & subtilitatis.

CONTRA est. Quia quamvis concedamus hæc simul necesse cum gravitate, non tamen in illis formaliter consistit gravitas. At quidem de temperamento jam supra dictum. Quod attinet ad densitatem, ita urgetur, nam densitas per illum sunt corpuscula, de quibus ipsis quæritur unde sint gravia, nec posset etiam dari summe grave, quia non daretur principium summæ gravitatis, densitas enim etiam est in aqua, & tamen non principiat summam gravitatem. De raritate idem proportionaliter dicendum.

RESPONDETUR 3. Duplex esse temperamentum. Quoddam quidem, quod appellatur à Chemicis fixum, & hoc cum candet ferrum, cum calefit aqua non dissolvitur, & in isto temperamento consistit gravitas. Aliud temperamentum mobile.

CONTRA est, quia saltem non admittit iste auctor densitatem fixam, & aliam mobilem; rursum cum densitas aquæ bullientis, notabiliter attollatur, deberet ex una parte reddi magis levis aqua, nam deficiente principio gravitatis, quale est per illum densitas, deberet densitati succedere levitas; & tamen hoc falsum est; ex altera parte deberet illa aqua reddi gravior, quia in illam intrant corpuscula, quæ etiam habent suam gravitatem. Redit etiam argumentum supra factum. Cur scilicet istud temperamentum fixum cum quoad aliquid sui reperitur in aliis elementis, non principiet eundem effectum? vel si principiat, non dabitur jam ullum summe grave, vel summe leve.

DIFFICULTAS III.

An Gravitas & Levitas sint una, an duæ qualitates, & de illis prout sunt in elementis.

†(H)

ASSE-

ASSERO 1. *Levitatis non est sola negatio gravitas.*

RATIO. Tum quia Angeli habent negationem gravitatis, non tamen ex eo ipso sunt leves, hoc est petentes locum sursum. Tum quia quodcunque fundamentum haberi potest, gravitatem non esse negationem levitatis, idem fundamentum haberi potest, levitatem non esse negationem gravitatis. Tum quia quamvis dentur aliqua accidentia, quæ contrarium non habent, quale accidens est lux, species intentionales, & cætera similia: nihilominus etiam dantur alia, quæ habent contraria; quale accidens est frigus. Quando autem est dubium, ad quam speciem accidentium spectet aliquod accidens, colligi id debet, cui sit magis simile. Habentine contrarium, an non habenti; major autem est similitudo inter gravitatem & primas qualitates, quàm inter gravitatem v.g. & lucem. Ergo, si primæ qualitates habent contrarium, etiam gravitas habebit, præcipuè cum videatur ipsa levitas sub sensum cadere. Dicimus enim hoc esse leve, & hoc esse grave, non secus ac cum dicimus: hoc est siccum, hoc est humidum.

ASSERO 2. *Levitatem & gravitatem non principiari ab eadem qualitate.* Est assertum contra Cabazum, qui eandem qualitatem, prout est principium motus deorsum, appellat gravitatem, & prout est principium motus sursum, appellat levitatem.

RATIO asserti; quia ad hoc, ut non multiplicentur entia, non est necesse fingere otiosa entia, porro qualitas v.g. in igne esset otiosa; non enim exigit ignis motum deorsum; debetque hæc qualitas promanare in bonum formæ temperamenti: nullum autem est bonum ignis si eat deorsum, vel terra sursum. Per hoc tamen non nego fieri posse, ut per accidens, malum principietur à qualitate, cæteroqui provisa in bonum elementi; & sic malum per accidens causatur, dum homo gravitate sua agitur è turri deorsum.

ASSERO 3. *Gravitatem & Levitatem in elementis non esse absolutam sed respectivam.* Sensus asserti est: quod aqua v.g. non debeat dici simpliciter in summo gravis; quæ gravitas intelligitur nomine absolutæ. Sed est gravior aëre, & levior terra, quod est esse gravitatem respectivam.

RATIO. Tum quia si ponatur aqua, & in illam injiciatur terra, terra statuet se sine ullo alio principio in loco infimo. Ergo apparet illam esse magis gravem; neque id referas in impulsu: nam utroque elemento æqualiter impulsu, adhuc terra deorsum petet, cum nec ipse major impulsus, causari possit sine majori gravitate. Dixi, quod terra statuet se infra aquam, sine ulla alia causa, quia quando aqua statuit se

infra terram; id referri potest in vacui periculum, vel quod etiam tunc respectu aliarum partium terræ, sit adhuc supra illas. Tum quia datur, ut appellant extrañum quoddam Chymicum, quatuor elementorum, quod verte ut volueris semper redibit ad eundem locum. Ergo apparet elementa semper sibi determinare certum locum distinctum; sicut determinant sibi partes illius extrañi. Si autem æqualis esset gravitas, saltem interdum in locum unius gravis, succederet aliud grave, &c.

Sed potestne dici ignis aliquo modo gravis, an nonnisi levis?

PROBABILIUS est: *Ignem & aërem nullo modo gravitare.* Tum quia nec ratio, nec experientia, id ostendunt. Tum quia si aër est gravis, quando cum impetu projicitur lapis, deferretque secum aliquas partes aëris, non conaretur iterato se superimponere aër aquæ, & respirante homine in aqua, halitus illius cum bullis supra aquam non evaderet. Tum quia, si quæ ratio suaderet aërem esse gravem, ea esset, quia si esset levis, impetum non faceret in ignem, quæ ratio non convincit: quia etiam si esset gravis non faceret impetum in aquam, consequenter deberet esse nec gravis, nec levis.

Censet tamen Maurus quæstione 48. quod aër non habeat positivam levitatem: cum quo

DICES 1. Illa corpora non habent positivam levitatem, quæ nullum habent impetum ascendendi supra gravius in specie. Talis est aër: sicut enim illa corpora quæ habent innatum impetum descendendi, subtrahito corpore inferiori, suo impetu descendunt in locum illius, quo pacto aqua, subtrahita terra, descendit in locum terræ; sic corpora quæ habent naturalem impetum ascendendi, subtrahito corpore superiori, quod impediabat ascensum, naturali impetu ascendunt in locum illius. Jam autem aër vel aqua subtrahito corpore superiori, non naturali impetu ascendunt, sed violenter trahuntur ad vacuum supplendum.

RESPONDETUR negando, quod naturali impetu non ascendat aër super aquam, ut videre est in bullis, quæ erumpunt ex aqua, in quam fuit intrusus aër, cum aliquo projecto; idemque sequeretur, si quis impetu aërem aquæ ingerat. Aristoteles qui in oppositum citatur, loquitur: quod aër non ascendat ad regionem ignis, quia aër est jam tunc in suo connaturali loco, & debito suæ levitati minori, tamen extincto igne in foco: suapte sponte locum illius occupat aër. Concedo ab Aristotele aëri tribui levitatem secundum quid, hoc est, non tantam ac igni; sed nego levitatem illam, secundum quid, non esse levitatem positivam.

INSTAT

DIFFICULTAS IV.

INSTAT Idem. Cum uter inflatus demergitur in aqua, magno conatur impetu ascendere. Si verò illa aqua, in qua est demersus, esset congelata, maneret quietus sub aqua graviore, imò potius supra glaciem se inferiorem ponderaret, & conaretur illam rumpere. Rursus evidenter apparet aërem inclusum in concavitatibus lapillorum, & metallorum, nullum habere impetum ad ascendendum: Ergo etiam & impetus, quo uter inflatus ascendit ex aqua, imputitur ab aqua extrudente.

RESPONDETUR negando, quòd maneat quietus uter sub aqua congelata; unde si sit glacies tenuis, perfringeret illam, quòd autem glaciem inferiorem se conaretur rumpere, id ex eo est; quia uter contentivus aëris, petit esse sub aqua, nisi impediatur; hinc uter includens aërem, duo operari potest, si poneretur sub glacie tenui, perfringeret illam, quia operaretur secundum vires aëris, conantis superponere se aquæ. Si verò poneretur supra glaciem, perfringeret tenuem secundum gravitatem utris, & ipsum continens aëris. Aër inclusus in metallis facit illa magis levitare licet impetum non faciat, quia ad impetendum sensibiliter, virtutem sufficientem non habet, & si aqua extrudit utrem, non videtur id aliunde esse, quia uter minus gravat, & cur non erit hæc minor gravitas, à levitate positiva.

DICES 2. Cum eodem aër non habet impetum ascendendi: Ergo descendendi.

RESPONDETUR negando ex dictis Antecedens.

DICES 3. cum eodem: Cum in terra aperitur fovea, eodem pacto descendit aër ad illam implendam, sicut descendit aqua, sed aqua descendit per positivam gravitatem. Ergo & aer. Item aer inclusus in utribus addit pondus. Ergo est ponderosus & gravis.

RESPONDETUR. Cum non eodem modo descendat aer in foveam, ac descendit aqua, nam aer descendat cum nisu superponendi se aquæ, hoc ipso descendet aer, cum sua positiva levitate. Ponderatio utris aëre impleti rejici potest in peregrina mista aëri, & in ipsam materiam utris. Quæ adfert ex Galileo quod quadragesimæ circiter partibus, minus ponderet aer præ aqua æqualis molis, illa procedunt de aëre itidem peregrinis qualitatibus affecto, si adhuc vera sit experientia. Quando enim dicitur: Ponderetur phiala plena aqua post egressum aëris, & invenietur minus ponderare, quam ante dum erat in phiala plus aëris. Si enim illud spatium occupat aqua, quæ non gravabit magis, si alius aer, qui crescit pondus, cum similis aer non possit plus ponderare.

An elementa gravitent & levitent in propriis locis?

COMMUNIS sententia est nec gravitare nec levitare; consequenter nec aerem impetum facere in ignem ut illi se superimponat, nec una pars terræ gravitat supra aliam, quod totum fundatur in experientiis; & insuper quia gravitas & levitas data sunt & provisæ à natura, tanquam principia obtinendi locum debitum. Ergo si sint in loco debito nihil amplius agent, & sicut si ab hac superficie terræ usque ad alteram perforaretur terra, lapis ad centrum veniens non se ultra moveret, eò quod esset in loco sibi debito, sic nec se movebunt elementa, si sint in loco sibi debito. Sed recentior Suarez cum concessisset reliqua elementa nec gravitare nec levitare in propriis locis, docet nihilominus gravitare aquam.

DICES cum eodem Primò. Aqua est gravis, & omnis gravitatis centrum, est infimus locus, quem aqua non obtinet.

RESPONDETUR retorquendo Argumentum. Aer est levis & omnis levitatis centrum est supremus locus, quem aer non obtinet. Ergo in suo loco levitat. Directè autem dici potest, aquam esse gravem sed non summè, consequenter nec centrum ejus est infimus locus, sed propè infimum, quem cum obtinet, plus non petit.

DICES 2. cum eodem: quia aqua super pavimentum cubiculi gravitat: Ergo etiam gravitabit supra terram. Ad respondendum huic argumento præ oculis habendum est quod experiamur aquam non gravitare supra natantes, gravitare autem supra pavimentum. Misso aliorum sensu.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia dum aqua est supra pavimentum, quod suppono esse elevatum à terra, atque adeo suspensum quasi in aëre, est extra proprium locum, si est extra proprium locum, necessariò gravitare debet; cum autem est supra terram est in proprio loco: hinc supra terram non gravitabit, quòd autem gravitet supra pavimentum, & non gravitet supra natantem in eodem v. g. cubiculo. Ratio: quia supra illud gravitat, quod impedit conjunctionem illius cum loco proximo supra infimum, quia verò natans in cubiculo, non impedit quominus tendat ad suum locum aqua, impedit autem pavimentum, fit ut gravitet supra pavimentum, non supra natantem. Unde etiam si aliquod vas aquæ imponeretur dorso natantis gravitaret supra illum, quia impediret, accessum aquæ ad proprium locum. Casu verò quo, idem cubiculum aqua plenum, imponatur aqua, dupliciter continere poterit aquam.

aquam. Primò ut non eleuet illam notabiliter supra residuum circumfluentis aquæ, & eo casu non gravitabit notabiliter supra pavimentum aqua. Casu autem quo illud cubiculum faciat aquam notabiliter superiorem aere, eo casu gravitabit, quia eo casu non erit in proprio loco. Quòd autem superior pars aquæ non gravitet, supra inferiores aquæ. Ratio est, quia cum partes illæ sint homogeneæ, non perunt una esse sub alia, cumque habeant continuationem inter se, eam non disrumpunt, nisi accedat causa extrinseca.

DICES 3. Aristotelem 4. Cæli tex. 20. docere elementa igne inferiora gravitare in propriis locis, idq; probat exemplum utris inflati, qui plus in aere gravitat quam vacuus.

RESPONDETUR. Aristotelem non plus velle, quàm quòd reliqua elementa quæ non habent tantam levitatem ac ignis, si aliquo ex motibus moveri debeant, quòd sint potius movenda motu deorsum, comparative ad ignem, quo igne semper sunt inferius.

DIFFICULTAS V.

An Gravia aquè cadant deorsum?

POSITO corpore magis gravi, quòd cadat per se loquendo aquè cito deorsum non nisi experientia probat Ariaga, quem secutus Pontius & recentior Suarez, negat antiquitas.

DICENDUM est 1. *Posito quòd detur corpus magis & minus grave, magis grave celerius cadet deorsum.*

PROBATUR 1. Causa naturalis quæ est potentior, agit potentius, quàm causa minus potens, si agere debeat, cæteris reliquis partibus, v.g. simili dispositione medii, figura, & cætera. Sed magis grave, est causa potentior. Ergo agat potentius. Ergo potentius principiat motum deorsum; adeoq; celerius perveniet. Major probari potest instantiis, fundaturque in hoc principio; quia causa naturalis necessaria, cum debitis prærequisitis posita, tantum agit, quantum potest; hinc si plus possit, plus aget. Minor principalis probatur; quia grave, est causa motus deorsum. Ergo magis grave, est causa magis potens, sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita majus ad majus. Ergo si esse grave, facit simpliciter motum deorsum, magis gravem causam; secunda autem illatio probatur, Hoc quod principiat idq; primario gravitas, est motus. Unde & per ordinem ad hunc, definitur gravitas. Ergo major gravitas, majorem, hoc est, celerior motum deorsum. Consequentia autem probatur. Quia si non principiat major gravitas, majorem, hoc est, celerior motum deorsum, causa potentior non ageret potentius.

Quod ipsum, sic aliter proponitur. Unicuique causa debet respondere aliquis effectus, primò & per se, cum dicat ordinem ad illum, sed gravitas est causa motus. Ergo debet illi respondere effectus, qui non est alius, nisi motus deorsum: Quia aliàs si motus deorsum non esset effectus, respondens gravitati, daretur effectus specialis, cujus nulla esset causa. Quæ enim alia nisi gravitas, præcipuè cum id referri non possit in impulsu, quia hic principiat motum principio intrinseco soli indebitum. Gravi autem, est debitus motus deorsum. Item impulsus non est determinatus ad motum deorsum, est determinata gravitas; jamque non daretur causa determinata illius effectus; hæc enim non est impulsus, utpote indifferens ad motum deorsum vel sursum.

PROBATUR 2. Quia nulla assignari potest ratio illius experientie, in qua se fundant oppositi.

PRIMARATIO adfertur ab aliquibus, quòd scilicet corpus gravius, habeat plus de materia, quæ est trahenda deorsum, quàm habeat corpus minus: & hinc fieri compensationem.

CONTRA est. Hinc sequitur, magnum rogi æque fore calidum, ac parvum; quia in magno rogo plus est materie accendendæ; imò ex hac ratione sequitur conclusionis intentum: nam materia non contrariatur motui deorsum. Jam autem major gravitas, est principium potentius, ad illum producendum.

SECUNDARATIO est. Quia qualibet pars illius lapidis, seipsam solam trudit deorsum, non verò aliam.

CONTRA est. Etiam posito quòd una non tradat aliam, cur omnes non agent simul per modum unius, producendo motum deorsum.

TERTIARATIO. A majori gravitate, non produci majorem motum deorsum, sed majorem impulsu. Quod ipsum probatur. Quia motus exercetur in ipso pondere, & in ordine ad seipsum, ita se habet pondus minus, & pondus majus: tantum enim est pondus minus, respectu sui ipsius, ac respectu sui ipsius est, pondus grave. At verò impulsus exercetur in alio corpore, ad quod diverso se modo habet pondus minus, quàm majus.

CONTRA. Si illa propositio: In ordine ad seipsum ita se habet pondus minus ac majus; sensum hunc habet: ita se habet in ordine ad se movendum, petitur principium: si autem habet alium sensum, non apparet quis ille sit. Ipseque ille major impulsus, proficiscitur à majore gravitate, cur ergo & motus non proficiscetur. Tum quia non est major ratio: Cur principari debeat major impulsus, à majore gravitate, & non major motus. Quod autem dicit Pontius. Corpus gravius, habere etiam plus gravitatis, seu plus partium movendarum, plures etiam partes medii resistentes: id etiam non convincit,

cit, ob rationes contra Ariaga allatas. Illud, de resistentia aeris non convincit, quia hæc non est notabilis; immò oppositum hæc ratio videtur convincere, ideò enim non citius descendit minus, gravi, quia plures habet partes aeris quæ illi resistent. Ergo si cætera sint paria citius descendet: quia si cum majoribus impedimentis, æquè citò descendit, certè cum majoribus adjuventis, citius descendet. Et quia plures partes recipientes in se qualitatem impulsivam, majorem faciunt impulsum; etiam plures partes gravitatis majorem facient motum deorsum, citiusque pertrahent partes aeris, adeoque citius descendunt.

PROBATUR 3. Major gravitas principiat majorem impulsus. Ergo & principiat majorem motum deorsum, præcipuè autem cum ille ipse impulsus sit etiam lativus rei gravis deorsum.

RESPONDETUR 1. ab Ariaga, corpus grave dum se movet, fortè non producere in se impulsus, sed solum in corpora quæ occurrunt & resistent, quod si grave in se novum impulsus producit, ille impulsus non juvabit ad motum deorsum, quia impulsus ab intrinseco, non videtur augere motum naturalem, sed violentum.

CONTRA est: Tum quia nulla est ratio cur impulsus in ipso met mobili non recipiatur; tum quia nulla item ratio, cur impulsus ab intrinseco, idque ad motum deorsum adferat violentiam ei, quod vadit deorsum. Tum quia si ratio Ariaga convincit, probabit simul impulsus majorem, non produci à majori gravi, quia non videtur impulsus posse proficisci ab intrinseco, vel si proficiscitur, nego quod tunc ex accidenti, hoc est, ex vi illius impulsus, non sit motus ille violentus, adeoque augens motum.

RESPONDET 2. Ariaga, majus grave non producit velociorem motum, sed fortiozem.

CONTRA est, quia non apparet, cur fortior ille motus, non sit velocior.

DICENDUM 2. Si non datur major gravitas, hoc est intensior, sed sola extensior, non videtur probari posse, quod magis grave, velocius sit movendum deorsum.

PROBATUR 1. quia rationes adlatæ respiciunt, quòd unum præ alio sit intensius grave.

PROBATUR 2. quia sola extensior gravitas ita se haberet, ac gravitas in pluribus partibus recepta, & singillatim agens; singillatim autem posita actiones, non faciunt unam intensiorem.

PROBATUR 3. Lumen sparsum per plures partes non ita illuminat, ac collectum & intensum. Ergo idem dicendum de gravitate.

Contra primam Conclusionem

OBJECIT 1. Ariaga, Experientiam; quia minus grave & majus grave, æquè citò cadunt deorsum.

RESPONSIO communis est, quod detur quidem excessus, sed qui sensu percipi non possit, præcipuè si ex ordinaria altitudine projiciatur lapis. Hoc ut commodius intelligatur.

SUPPONO 1. Quod nulla experientia contra rationem prævalere possit, sed si aliter ratio, aliter experientia docet, vel neganda est experientia, vel dicendum non esse illam exquisitam. Hinc sufficienti data ratione pro conclusione, experientia contra illam non tenebit, nisi ratio solvatur.

SUPPONO 2. Nunquam veram experientiam, contra veram rationem procedere posse. Ratio, quia experientia in talibus proficisci debet ex causis necessariis, ad quas etiam vera ratio attendere debet, quia si non attendet, hoc ipso non erit vera, quia nec conformis obiecto.

SUPPONO 3. Quamvis omnis nostra scientia dependeat à sensibus, atque adeò ab experientiis, cum tamen scientia non sit experientia, sed deductum ex experientiis, hinc fit ut experiri solum, non sit scire, sed principium ad scire, quia verò ex diversis principiis & circumstantiis, sensus nostri falli possunt, fit ut scientia à pluribus circumstantiis pendere debeat, petendæque sunt experientiæ ab aliis sensibus, vel similibus effectibus. Ita etiam in præsentia uni experientiæ huic, fidendum non est, sed una experientia, contra quam militat ratio, aliis in simili experientiis, & similibus regulanda. Videmus autem quod à potentiori causa, cæteris paribus, semper potentior fiat effectus. *Hoc posito*

RESPONDETUR. Produci quidem motum velociorem deorsum à magis gravi, sed excessus gravitatem non adverti, ob spatii brevitatem, ut etiam à principio duorum non æquè currentium statim non dignoscitur diversitas. Dici item potest quod excessivum ponderosum, impulsu suo quo propellit aërem, juvet & in minori gravi augeatur motus. Referri etiam id potest in figuræ varietatem, & cætera similia. Quamquam docent etiam impressi, experientiam hanc in præaltis turribus fallere.

INSTAT 1. Ariaga. Si valet responsio, dicam inquit: bi: citius cadere, corpus minus grave, etiamsi id non percipiatur.

RESPONDETUR. Non posse id dici, quia in oppositum est ratio, quæ ostendit minus potens principium, non ita potenter operari.

INSTAT 2. Gravitas non solum decuplo, sed etiam centuplo est major in uno, quam in altero, hinc si quo major est gravitas, eò citius

† (H) 3 cor.

corpus debet moveri, certè ita jam centuplo gravius, centuplo citius deberet moveri.

RESPONDETUR, centuplo gravius, centuplo citius moveri, si moveatur per spatium bene notabile. Jam autem non pauci motus sub initium æquales sunt, quorum postea, nonnisi processu temporis, & spatii, differentia advertitur; sic si duo sagittæ arcu excutiant, sub initium videntur æquè cito currere, & tamè postea apparet differentia. Quod autem sagitta, quæ postea superat aliam, etiam sub initium celerius currat. Ratio est, quia supponitur plus habere qualitatis propulsivæ, sibi impressæ.

De opposita Generationi Corruptione.

CORRUPCIO spectari potest vel ratione termini, vel ratione actionis. Spectata ratione actionis, est id ratione cuius, tanquam rationis formalis ut quo, sequitur corruptio termini ut quod. Spectata ratione termini, est id quod corrumpitur. Rursus corruptio termini ut quod, est duplex. Iplius formæ quæ supponitur esse materialis, adeoque corruptioni subiecta, & alia ipsius compositi. Jam autem corruptio ratione actionis spectata, dividi potest in actionem, quæ desinit, ratione cuius desinentis actionis, dicitur aliquid corrumpi; & in actionem positivam, vi cuius sequitur aliud; & hæc actio est potiuseductio, vel creatio formæ, aut generatio compositi. Jam autem corruptio spectata, secundum actionem, quæ desinere dicitur, sicut duo imprimis non esse actionis. Secundo esse actionis in ante positum: sine his enim duobus non potest concipi.

QUÆRES 1. Quid sit corruptio.

EXPLICAT 1. Recentior Suarez cum Conimbricensibus, quod sit mutatio totius ex toto. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia per illam corruptio appropriatur toti, cum possit convenire etiam formæ.

EXPLICAT 2. Oviedo, quod sit desitio rei in aliam.

NON SATISFACIT. Quia corruptio est quid prius, quàm mutatio, mutatio enim dicit positionem novi totius. Corruptio autem est prior positione novi totius. Ergo illud quod est prius, non debet explicari per hoc, quod est posterius. Deinde quantumvis Deus impediatur, ne sequatur novum totum, verè erit corruptio, & tamen non erit desitio in aliam rem.

ASSERO 1. *Corruptionem spectatam ratione termini, qui est forma, esse desitionem actûs Ph-*

sici, in subiecti potentiam, Ly Desitio est per modum Generis, est enim commune ad annihilationem, Conversionem, & cætera, Ly in subiecti potentiam, est illius differentia, per hoc enim discernitur ab annihilatione.

ASSERO 2. *Corruptionem spectatam ratione termini, qui est totum compositum, esse desitionem seu cessationem totius à toto. Dico à toto, non in totum. Quia si Deus impediret formæ positionem, non esset desitio in totum, esset tamen desitio seu cessatio à toto; adeoque corruptio.*

QUÆRES 2. *An tota substantia corrupta, sed manentibus accidentibus, dicenda sit res corrumpi?*

ASSERO 1. *Si terminus corrumpatur qui est forma, & maneat subiectum, ex quo illa educi possit, non erit dicenda res illa annihilari.*

RATIO. Quia alias formæ materiales, dicendæ essent semper annihilari. Oppositum sentit Durandus & Ocham: sed eorum argumenta supponunt creationem non aliud esse, quàm non esse rei in ante, & annihilationem, non aliud esse quam non esse rei in præsentia.

ASSERO 2. *Non sufficit ad annihilationem etiam desitio subiecti. Si inter desitionem subiecti & positionem alius, sit connexio. Quia tum temporis potius erit conversio ut sit in Eucharistia.*

ASSERO 3. *Quando desinente simpliciter aliquo, tam quoad formam, quàm quoad subiectum, remanent nonnisi accidentia, verè dicitur illa res annihilari.*

RATIO. Res spectatur penes sua essentialia; essentialia autem illius rei, verè tunc non sunt: Vide pluribus de hoc Amicum tomo de Angelis, disputatione secunda, sectione decima tertia. Unde etiam in Eucharistia dicitur annihilari substantia panis, quamvis maneat ejus accidentia.

DICES 1. Forma cuius manet materia, non dicitur annihilari: Ergo & res cuius manent accidentia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia adhuc ipsa materia est aliquid essentialia, consequenter adhuc manet res in aliquo sui, quod non est annihilari; accidentia autem non sunt de essentialia rei.

DICES 2. Etiam manentibus nonnisi accidentibus, est vera propositio, hoc restat ejus, quod erat. Ergo non est annihilatum.

RESPONDETUR. Cum restet nonnisi id, quod non est rei essentialia, & nihil sit essentialis, erit nihil rei, adeoque annihilatio.

DICES

DICES 3. Ideo in Eucharistia non dicitur annihilari substantia panis, quia manent illius accidentia.

RESPONDETUR. Nego in Eucharistia non annihilari substantiam panis, annihilata ejus materia & forma, cum hoc tamen stat ut sit illic conversio, quia ut dictum supra, non est illic simpliciter desitio panis; sed vertitur in corpus Christi, ob connexionem Sacramentalem, inter annihilationem substantie panis, & positionem corporis Christi; non utcunque sed sub speciebus panis.

QUÆRES 3. An accidens aliquod materiale, si postea conservetur concursu creativo, desinatque esse, an desitio illius dicenda sit annihilatio.

ASSERO. Si maneat materia eadem, ex qua accidens fuit eductum, & postea conservatum actione creativa, adhuc illius desitio accidentis erit nonnisi corruptio.

RATIO. Quia non desinet in nihilum simpliciter, sed in potentiam subiecti, & sicut concursus ille creativus, dum est præsens, non facit quominus illa materia sit potentia illius accidentis, quamvis impedita, ita nec faciet, ne dicatur rediisse in potentiam subiecti, consequenter nondum annihilari. Quando autem assumit Amicus, sufficere ad annihilationem, ut totus terminus creationis, desinat in nihilum sui; id falsum est, si non desinat etiam in nihilum subiecti. Nam non manet quidem formaliter tunc terminus creationis, manet tamen in aliquo sui: hoc est in subiecto.

Ad M. D. G. Bq. V. H.
b.M.



INDEX